
B. N. C.
FIRENZE
1107
30




A.




VII B
CANC


1107. 30

RAPHAELIS CANCELLERII PISTORIENSIS, ROMANIQVE PATRICII

In Gymnasio Pistoriensi horis matutinis, IVS CIVILE, PONTIFICIVMQVE *Profitentis, Carmen* DE IVSTITIA, *&* DE HOMINIS *Conditione In* INGRESSV *Studij.*

Cum aliquot Anagrammatis.

SECVNDA EDITIO.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.





VENETIIS, M DC XI.

Apud Bernardum Iuntam, Io. Baptistam Ciottum, & Socios.

ILLVSTRISSIMI
ET REVERENDISSIMI
INNOCENTII BVBALI
S. R. E.
Cardinalis Amplissimi

INNOCENTIA SINGVLARI, SVMMA RELIGIONE, EXIMIAQVE SAPIENTIA ORNATISSIMI MEMORIAE NVNQVAM INTERMORITVRAE.

RAPHAEL CANCELLERIVS
PISTORIENSIS I.C.
OFFICII PIETATISQVE CAVSSA

VOLVMEN HOC SVVM ITERVM EDITVM AVCTVMQVE NVNCVPAT DICATQ.

M D C XI.







ILLVSTRISSIMO,

AC REVERENDISSIMO D. INNOCENTIO BVBALO CARDINALI AMPLISS.


Raphael Cancellerius S. P. D.





NATVRA comparatum eſt (Illuſtriſs. Cardinalis) vt meliora ad meliora, & optima ad optima ferantur. Hinc mea poemata, quo minus ad amplitudinem tuam venirent, teneri nullo pacto potuere, qui melior ac potius optimus es inter mortales. Non ſe cognoſcunt optima noſtra carmina, ſed videri tamen volunt, atque à te ſuſcepta, propter ſplendorem à te acceptum optima videbuntur. Reliquum eſt, vt tu munus noſtrum, qualecunque eſt, hilari fronte accipias,

accipias, & tuearis, nosque ames, vt tuos, & ex tuis, vt nos te summè colimus, & vt diu viuas incolumis, in nostrum, publicumque bonum continenter, & ex animo Deum precamur.
Vale Pistorij.



L E C T O R I.


IOANNES BAPTISTA FIDELISSIMVS PIST.



N habes (præstantissime lector) Raphaelis Cancellerij Pistoriensis. Iuris prudentissimi uiri, & in pangendis carminibus consumatissimi opus sanè ingeniosum, elegans, eruditum, & omnibus numeris maximè absolutum; Inuitus equidem permisit, ob amicorum blandas importunitates: *Non ductus tumida (vt solent Poetæ)* Aura gloriolæ. Sed quænam (oro) inanis gloriæ cupiditas in octuagenario hoc, & ferè τεθνηκῶτο sene vigere potuit, dum vnius Dei Opt. Max. veram gloriam, perpetuam, & immortalem exoptat? Habet etiam sacrorum Epigrammatum, & Anagrammatum opus, quorum exemplar hic tibi proposuit, a pijs studiosis viris maximoperè expetendum, & de Serenissimæ Mediceæ familiæ laudibus alterum elegantissimè concinnatum. Hæc omnia daturus est, vt studiosorum voluntati, & autoritati morem gerere videatur: etenim ob Romanę dictionis elegantiam, puritatem, proprietatem, facilitatem, obque rerum, historiarum, exemplorum, καὶ ποιητικῶν μύθων ὕλην, illam admirandam, æquum est vt tanti viri labores vbique circumferantur. Quam præcipue ob causam, ex eo tempore, quo mihi à Medicina ad Poesim secedere licitum fuit, colui, suspexi, veneratus sum illum, non quidem vt reliqua ingenia, quorum hodie maxima frequentia, sed vt σεβάσμιον τὶ καὶ ἐκ Διὸς πεπλασμένον. Istum animi affectum confirmarunt cùm alia, tùm præcipuè humanitas illius, & morum suauitas, prudentia, maxima illa rerum experientia, & incomparabilis eruditio. Accesserunt & similia multa (quæ citra adulationem dixero) ætas, modestia, verecundia, religio, pietas, quibus omnibus, vel maximè præditus est: quas sanè dotes, qui in tanto uiro non admiretur, veneretur, atque collaudet, quis non dicat inuidia eum extorqueri? Est enim profectò natus non modò ad honesta literarum studia iuuanda, sed huius etiam ciuitatis laudes vbique celebrandas, dum

illustrium

illuſtrium virorum præclariſſima geſta, ad iuuenum animos incitandos exponit. Quæ quidem res (niſi me animi coniectura fallit) tanto plus gloriæ meretur, quanto reliquis rarior, & à nemine hoc in publico Gymnaſio tentata fuit hactenus. Cæterum de ſanguinis claritate, atque atauorum egregius actionibus quid dixero, cum ex clariſſimo ſtemmate Cancellariæ gentilitatis perſpicuè eluceſcat? Sed plura fortaſſè, quam oportuit. Tu verò amice lector munus hoc habe, & pro admirabili ingenio, & eruditione tua æqui, bonique conſule; ἀχάριστος γὰρ ὅστις εὖ παθῶν ἀμνημονεῖ·



STEMMA FAMILIAE CANCELLERIAE PISTORIENSIS CONSPICVAE.

NVMEROSIS IMAGINIBVS MAGNIS OPIBVS, BELLO, PACE, DOMI, FORISQ. SAGO, TOGA, POLITICA SACRA, ET OMNIVM ORDINVM VIRIS, ET PRAECIPVE ILLVSTRIS.

DOCTORIBVS PLVRIBVS, EQVITIBVS AVRATIS EODEM TEMPORE XVIII. ET VNO TEMPORE HOMINIBVS ARMIS IDONEIS DIVITIBVS, ET POTENTIBVS PLVS CENTVM.

CONSVLIBVS, SENATORIBVS, PISTORIENSIBVS, PRAETORIBVS VRBANIS, OPPIDANIS, CASTRENSIBVS APVD EXTEROS.

GVBERNATORIBVS VRBIVM, PROREGIBVS, LAZZARO APVLIAE PRO CAROLO REGE III. QVI ET SENATOR ROM. ET BARTHOLOMEO APRVTII PRO REGINA IOANNA.

DVCTORIBVS EQVIT. ET PEDIT. ET LAZZARO MOLIS HADRIANAE PRAEFECTO, CVI SVCCESSIT SIMON FIL.

TRIBVNO MILIT. GENERALI APVD ESTENSES FERRARIAE DVCES.

RICCIARDO PRIMO, ET DVCTORE EXERCITVS PRO REP. FLORENT. QVI ET DOMINVS FRANCAE, VILLAE, A SEDE APOST. ET COMES PALAT. A CAR. IMP. IV. FACTVS.

RICCIARDO ALTERO, QVI SAMBVCAE CASTRVM, ET ALIAS VILLAS IN MONTANIS PISTORIENSIBVS OCCVPAVIT.

STIATTA PRO REP. FLORENT. DVCTORE CCC. EQVIT. ET GERIO CC. PRO REGINA IOANNA.

FEDERICO C. PEDITVM PRO REP. PISTORIEN. CONTRA TVRCAS, SIMONE DOMINO ARCIS PANTANI IN COMIT. PISTORIEN.

PLEBANIS, ABBATIB. IN DIOCAESIBVS, ARCHIPRESBIT. CANONICIS MVLTIS IN CATHEDRALIB. IOANNE BAPTISTA RAPHAEL. FIL. PRAESENTI PRAEPOSITO CATHDRALIS. PIST. MAIILIO CANON. PIST. QVI TEMPLVM S. MARIAE DONAVIT FRATRIBVS SERVORVM B. M. VIRGINIS PISTORIEN.

ET HIS, QVI SEQVVNTVR NVNC COGNOMENTO A BVBALO INTER PRIMORES ROMANOS.

MARCELLO SACRAE ROM. ROTAE AVDITORE.

GREGORIO ABBREVIATORE CANCELL. ET REFEREND. APOST.

EQVITIBVS POMPEIO HYEROSOLIM. ANGELO D. STEPHANI.

CANONICIS MVLTIS IN VATICANO.

CINTHIO, ET IACOBO EPISC. NEPESINIS.

INNOCENTIO S. R. E. CARDIN. QVI EPISC. CAMERIN. ET LEGATVS. A. S. D. CLEM. VIII. ET PAVLO QVINTO PONTIFICIB. MAX. APVD CHRISTIANISS. REGEM.

RAPHAEL CANCELL: I. C. PIST. PIVS GRATVS GENTILITATI SVAE RECENSVIT.

B PETRI

PETRI ANTONII VECTII PHILOSOPHI PIST.

INsidias uirtute sapit qui tendere letho
Hoc sibi lucratur uiuere post obitum.
Post obitum uiues; laqueos nam texere morti
Tu sapis; Astraea dum bene gesta canis.

Eiusdem ANAGRAMMA.

RAPHAEL CANCELLERIVS.
AN CHELY PELLVCES RARA.

PIcelidum tibi nimirum chorus inuidet almus
Flumina namq; cythara sistis, auesq; trahis,
AN RARA superare CHELY te Amphiona dicam?
Non, sed PELLVCES nomine ut ipse pari.


BARTOLOM. MANCINI POLITIANI.

ORpheus eurydicen suam retentat
Cantu flexanimo reducere imo
Plutonis solio, labore uano.
Astraam pietatis feris inquam
Cancellis Superum canens retraxit
Cancellerius, en Polus remugit.

PHILIPPI SCARPELLI I. C. PIST.

NOn canit hac Raphael timuit quo sospite uinci,
Natura & pariter, quo moriente mori,
Alter & hac pingit, quo sacri gloria Pindi,
Est que uirente uirens, est que cadente cadens.

SEBASTIANI FORTIGVERRAE PIST. I. C.


Equa gerens rectam librato pondere Lancem,
Hoc reuocata uenit carmine Iustitia
Concinis aeterni caelestia Numina Regis,
Rex tibi caelestis caelica regna dabit.
Concinis antiquos Patriae, clarosq; penates,
Grates pro meritis haec tibi semper aget.
Quot uirtute refers ciues uiguere, quot armis,
Hi tua perpetuo nomina ad astra ferent.
Hoc opus Astraea Raphael tua carmina poscunt,
Tu das cuique suum, dat tibi quisque tuum.

ALEXANDRI MELLINII I. C. PIST.


Ixerat Astraea caelum qui temperat altum,
In cunctis cupidae rebus adesse modum;
Est Raphael nostro dicet qui numine iura,
Et quauis madidos reddet in arte uiros.
Iam patet: edocuit multos hac ille cathedra,
Multa tibi debens, sed mihi plura quidem.

SFORTIAE FROSINI PIST.


Vi tibi, qui patria, qui natus ciuibus amplis,
Tergeminum condis, praesidiumque decus;
His laudes, doctrinam huic, & tibi tecta superba,
Perpetuo uigeas nomine tergemino.

MATTHAEI ROSSII AD AVCTOREM.


Vlcia quam fuerint Raphael tua carmina, testis,
Editus à nostris quisque libellus adest.
Testes Phidiacis non inuidiosa cylindris
Marmora, carminibus rite notata tuis,

Hunc

Hunc tamen extremum gens admirata laborem
Collaudare aliud tam benè nescit opus,
Iure tibi irascetur olor, quod carmine uitam
Fundat, tu uitam carmine perpetues.

NICOLAI VILLANII PIST. AD AVTHOREM.


AEtherias reuocata plagas Astraea relinquit,
Cumque uiris firma foedera pacis init.
O magnum uirtutis opus: quod saecula nulla,
Nulla aetas ualuit, tu tamen unus agis.
Fortunate senex auum qui uincis, & orbi
Carminibus doctis aurea saecla refers.
Quos tua maiores titulos praeconia quaerent?
Te solo est Mundus redditus ipse sibi.

IOANNIS BAPTISTAE FIDELISSIMI PIST. ANAGRAMMA.

RAPHAEL CANCELLERIVS
CHELY VERA PLVRA CANIS.

RAPHAEL decus elegantiarum,
Atque idem Pater omnium leporum
Dij boni, ut lepidè, ut diserte, ut altè
Docta, candida, pulchraque, ut uenusta
Anagrammata concinis? Quid oro
Anagrammate pulchrius, magisue
Dignum laudibus? ipse enim eloquenter
Virum è nomine gesta in orbe pandis,
Ficta nec canis, ut solent Poetae, at
CHELY VERA CANIS, quid ergo PLVRA?
RAPHAEL decus elegantiarum.

ANDREAS ROSSIVS I. C. PIST.



Armina sic RAPHAEL tua sunt imitata Maronem,
Illi ut sis tantum nomine dissimilis,
Gaude igitur forsan mutabit nomina fama,
Esseque Virgilium te uolet illa nouum.

MATTHAEI MORETTI I. V. D. PIST.

DISTICHON.



Vr genuisse senem uis, si natura negauit?
An ne senex qui omni tempore niuus erit?

Eiusdem AD LIBRVM.




Xi nunc fœlix, iterum nunc pande libellus
Famigeras alas, nec uereare notas.
Existi quondam, fateor, mendosus, at omne
Impegit crimen Bibliopola tibi.
Candori niueo quo te iam protulit anthor
Redditus, atque decus prosilit inde tuum.
Ah fugisse manus quam prodest Bibliopolae?
Qui sibi te mendis fecerat ante suum.

NICOLAI VILLANII

ANAGRAMMA.

RAPHAEL CANCELLERIVS PISTORIENSIS

ARCTAS RIPHEAS NIVES IS LENIT PLECTRO.



Hreÿcius vates PLECTRO, fidibusq; canoris
Et mouit syluas, & requieuit aquas.
Hic autem RAPHAEL, quem Castalis educat unda,
Et cuius crines Delphica laurus obit;

Dulci

Dulci Caucaseas IS lenit carmine Tigres,
ARCTAS RIPHEAS LENIT & ille NIVES.

EIVSDEM.

RAPHAEL CANCELLERIVS IVR. CON.
EN ILLE IVRIS PHAROS, AC LVCERNA.

EN Raphael, qui docta canit modò carmina ad auras,
Aoniumque graui pectine pulsat ebur,
Alta quoque est IVRIS PHAROS ILLE, AC niua LV-
Qui trahit errantes luce, lyraque uiros. (CERNA,

ACHILLIS BARONII PISTORIENSIS ANAGRAMMA.

RAPHAEL CANCELLERIVS. I. V. D.
DICAEARCHIA REPVLLVLANS.

Aliud eiusdem.

RAPHAEL CANCELLERIVS PISTORIENSIS
ENSIS EI, LYRA, LANCES PVLCRA TROPHAEIS.

IVstitiæ oraclis, quæ fulgent è tribus uno
Nomine postremum, numine cerno prius.
Iura docet, Musis adeo mulcentibus aures,
Aures ut fieri cætera membra uelim.
Belli potens etiam auratis perfulgurat armis,
Ter poscens canam fronde uirere comam.

Hinc resono ENSIS EI, LYRA, LANCES, PVLCHRA TRO-
Multa canenda tulit, multa canenda feret. (*PHAEIS*

MATTHAEI ROSSII PIST.

ANAGRAMMA.

RAPHAEL CANCELLERIVS PISTORIENSIS
HICCE PARNASVS ERIT APOLLINIS ALTER?

HICCE libellus ERIT PARNASVS APOLLINIS AL-
Hic Raphael sacrum colligis ecce chorum (*TER?*
Scilicet in terris si nomen Apollinis aequas,
Ille colat terras, tu quoque Numen eris.

Eiusdem EPIGRAMMA.

ALter adest Raphael: Vrbinati aemula cuius
Gloria Maeonium tollit ad astra caput,
Nobilis hic uersu, colosq. coloribus ille
His oculi, ast illo pascitur ingenium.
Hic animos pingit; membra est imitatus at ille.
Vates hic tacitus, Pictor at ille loquens.
Si ingenio corpus, uerbisq. silentia cedunt:
Cedito Musa tacens, uincito Musa loquens.

IOANNES VISCONTIVS PIST.
Ad Authorem.

DVm cecinit Raphael modulantes uertice Pindo
Cesserunt Musae, cessit & Actiacus,
Iuraq. cum sensit Populis Astraea referre
Aetherei liquit limina sancta Patris
Hinc terra intumuit, uastoque ab gurgite dixit
Cedite Caelestes, attrahit iste Deos.

IOANNIS

IOANNIS MARIAE VILLANII PIST.

De Raphaelle Cancellerio, eiusque opere Anagramma,

RAPHAEL CANCELLERIVS I. V. D.

ILLE DIV CLARVS, HAEC PERENNIA.



LARVS extento nitet ILLE saeclo,
Nec rota longa teritur diei
Grata cui docto monumenta Phoebo
condere detur
Vixit,& uiuet bonus usque Homerus
Multaque Andinum leuat aura Cycnum
Lesbiden Vatem uetat interire
fama superstes
Hinc DIV terris Raphael uigebis,
Nomen & totas penetrabit oras
HAEC que uenturos monumenta erunt PE-
RENNIA in annos
Signa lysippi, tabulasque Apellis
Et qua Mausoli cineres teguntur
Mole praestabunt Mareoticorum
bustaque Regum

FRANCISCVS FONTANVS AD LECTOREM.



VAM vera virtus,generose lector,sit semper eadem,vel ex Raphaele Cancellerio, auctore nostro licet intelligi. Is natus ad virtutem perpetuò colendam, eum, per omnes vitæ gradus, cursum tenuit, vt virtuti vni, & gloriæ semper vixerit. Ab ineunte enim ætate,cum optimis disciplinis se dedisset, tantum ingenio,studioq; in illis profecit, vt nihil discere velis,quod is docere non possit,vt testatur Ioannes Andreas Cancellerius à Sancto Archangelo è sacra Franciscana minorum familia uir æque doctus ac pius in ea epistola, qua superioribus annis Theologiæ ac philosophiæ Theoremata quæ Pistorij publice disputauit ei meritò dedicauit,Ad bonarum artium gloriam bellicam laudem adiunxit, sub diuersis.n. ducibus plures annos terra,mariq; meruit. Cuius viri præstantem virtutem,cum aliæ nationes per multæ,tum S. P. Q. R. admiratus est,& præclaris monumentis testatus, qui illum,& eius filios,& posteros cunctis ordinibus assentientibus, ciuitate donauit.Romæ plures annos commoratus,moribus deinde,& vrbibus multarum gentium visis, Pistorium suam in patriam reuersus est, vbi nunquam à se ipso defecit; etenim summum suæ ciuitatis gradum adeptus,patriæ, & publicè,& priuatim prodesse,& consulere numquam destitit. Rem familiarem honestissimis rationibus auxit,domos magnificas extruxit.quodq; mortales natura in primis mouet,pluribus filiis susceptis,florentissimam familiam aluit, & instituit, quæ vtrum plus numero crescat,an generositatem paternam,& maiorum suorum plus imitetur in dubium vocari possit.Literis omnibus deditus iuris ciuilis prudentiam in primis professus est.Denique verò octogesimum annum agens, cum ad senectutis incommoda transeunda,tum ad instituti sui rationem retinendam,opuscula hæc parua composuit.Versibus componendis se se oblectauit,de illis ta


men edendis cogitauit nunquam, imò quominus ederentur cō-
stantissimè recusauit. Verùm cum ab amicis vehementer rogaretur, & precibus cogeretur, tandē victus dedit manus, & in apertum proferri pauca sua carmina passus est. Exacta poemata ætatem validissimam postulare quis ignorat? Quamobrem, si hic libellus horatianæ seueritati omninò non respondebit, primum illud spectandum erit senectutem non vitam esse, sed somniorū potius simulacrum, & vitę cadentis, & occidentis vmbram. Hùc deinde accedit, vt vides, quod ipse auctor supprimi hæc scripta, non vulgari volebat, & mansisset in sententia, nisi quod non licet hominem esse sæpe ita, vt vult, si res non sinit. Libellus tamē virtute sua minimè caret, ita enim vitiorum medicinam fert, ita virtutem extollit, vt eo purè lecto, multa quæ ad iucunditatem vitæ pertinent, inde possis expromere. Hoc te monere volui benigne lector. Quod reliquum est, cum te omni bono dignissimum ducam, æternam felicitatem in cælo, & fortunati huius senis annos, & cœtera bona tibi precor in terris. Vale.

Pistorii M. D C. IIX. Idibus Maij.



Ἰωάννης ὁ Βαπτιστὴς ὁ Πιστώτατος ἰατρὸς Πιστωριεύς, τοῖς σπουδαίοις εὖ πράττειν.

Καλὸν ἀεὶ τὸ σπουδάζειν περὶ τοὺς ποιητικοὺς λόγους, νῦν δὲ μάλιστα τοῖς νέοις χρήσιμόν τε, καὶ ἀναγκαῖον, οἱ γὰρ ποιηταὶ διὰ πάντος μυθολογοῦσι, τὰ δὲ πολλάκις ἀληθινὰ πράγματα, ἱεράτε, καὶ ὑπερουράνια διδάσκουσι, ὥσπερ ὁ ποιητὴς ἡμέτερος, ὅς γε οὐ μόνον παιδευτικῶς τὴν τοῦ ἀνθρώπου κατάστασιν γέγραφε, ἀλλὰ καὶ δύναμιν θεοῦ παντοκράτορος ἡμῶν, καὶ τῆς ψυχῆς ἀθανασίαν ἔψαλλε φιλοκάλως. Δέξασθε οὖν ὦ νέοι σοφώτατοι, τοῦ Ῥαφαήλου Πιστωριέος τὸ ποιητικὸν βίβλον, καὶ οὐκ εἰς μακρὰν τὰ ἄλλα προσδοκᾶτε, καὶ ἐν τῷ μεταξὺ χρῆσθε εὐτυχῶς. ἔρρωσθε. ἐν τῇ Πιστωρείᾳ φεβρουαρίου μηνὸς τρίτῃ ἐπὶ δέκα.
ἔτει ἀπὸ τῆς θεογονίας χιλιοστῷ ἑξακοσιοστῷ, καὶ ὀγδόῳ.





RAPHAELIS CANCELLERII PISTORIENSIS, ROMANIQVE PATRICII

In Gymnasio Pistoriensi horis Matutinis, Ius Ciuile profitentis,

CARMEN DE IVSTITIA IN INGRESSV STVDII.

SECVNDA EDITIO.





AEPE ego secreto quam plurima corde volutans,
Quid valeat cursus lunæ, quid cernere solis
Lumina, naturæ, & rerum quid reddere caussas:
Virtute herbarum sæuos mulcere dolores,
Quid radio metiri orbem, quid copia fandi:
Iris quid cælo moneat, quid menstrua Phœbe:
Quis totum voluat mundum perquirere, tandem
Esse reor magnas diuino in carmine vires:
Hoc potis est hominum cupidas compellere mentes
Virtutem ad laudes, animosq; incendere dictis.
Hoc reuocat nostros infando à crimine sensus,
Solatur miseros, pellitq; a corpore morbos,
Imbres implorat siccis sitientibus agris:
Cælicolum regem placat, flectitq; precando,
Cum iubet errorum mortales pendere pœnas:
Excitat hoc etiam dubij in certamine Martis,

Et iubet aduersis acies concurrere signis.

Magnus Alexander Tyrtæi carmine vatis
Vsus erat, quoties animum iuuenilibus ausis
Addere, & ad sæuam validos impellere pugnam
Spartanos vellet, magnas nam carmine in hostes
Addebatq; animis vires, cantùque ciebat.
Et cum mens hominum fuerit concussa dolore,
Carminis ad sonitum cura omnis tollitur, atque
Synceram ex templo mentem noua gaudia tentant.

Quid mirum, quando mortales sæpè videmus
Natura in primis duci dulcedine cantus?
Cuncti etenim dulci trahimur Permeßidos vnda,
Et Zephyri Cyrrhæ syluis Heliconis amœnis
Oblectant animos, placidum suadentque soporem:
Orpheus Eurydicem reuocare ad luminis auras
Experiens cantu, strepitum placauit Auerni.
Nonne animos hominum cythara mulcebat, & aures
Fatidicus Dauid, prædicens visa futura?
Christi Virgo parens, ageret dum montibus altis
Aeterno Patri pro accepto munere grates,
Comprensas numeris laudes, hymnosque canebat:
Dijque etiam quondam sacris oracula Templis
Consulti versu populis ex ore ferebant;
Ipse etiam Christus verus Deus, vnus & altus,
Isacidum quondam gaudebat carmine sacro,
Qui Regem circum iucunda voce canebant,
Dum tollunt plausu læti, & comitantur euntem.

Hinc certum est, Phœbo fidibus modulante canoris,
Iustitiæ quantum valeat præstantia fari.
Nempe à iustitia virtutum ducitur omnis
Optima cognitio, cunctas nam parturit artes.
Hic primus quamuis consurgat carminis ordo,
Et quamuis tenui deducam carmina filo.

Tu verò interea Cæli decus aurea Musa,
Inclita flammigeris Virgo redimita pyropis,

Splen-

Splendorem cuius mirantur Phœbus & astra,
Da præsens robur, nostrisq; laboribus adsis.
Inter quæ reddunt claras, & laudibus amplis
Attollunt urbis, vt toto vertice supra
Omnibus excellant alys, Mundique per oras
Diffundat pia posteritas memorabile nomen,
Musarum præstant tecta, & monumenta virorum.
Numquid Alexandrœa suam super æthera famam
Attollit celebris facundæ Palladis arte?
Massiliam multa quondam virtute nitentem
Romulidæ petiere, vt rem dignoscere possent.
Num modo præclaro decorantur nomine PISAE?
Vrbs agro in Tusco multis præclara triumphis,
Quæ maris & terræ populos ditione tenebat,
Et victis sueuit populis imponere leges,
Nunc celebri doctas volitat sermone per aures
Gloria ab Hesperys undis ad littora Eoa,
Et longe ante alias fama supereminet omnes,
Hoc illa Hetrusco tribuit, ceu plurima, Regi,
Quodque ibi Iustitia insignis Regina, decusque
Virtutum, in solio residens det iura paterno,
Ortum quæ Cœlo ducit, Cœlumque tuetur.
Illic cuncta regit sceptro, & certo ordine regnat.
Hæc fouet insontes, & sontes corrigit vltrix,
Hæc alit ingenuas artes, hæc præmia ponit
His, qui desidiam vitent studia alta sequendo,
Hunc donat tincta radianti murice palla,
Hunc clarum extollit cœli ad fulgentia regna,
Totius imperio sublimi hunc præficit orbis,
Atque arcis dono exornat stellantis Olympi.
Tales producit, tales nutritque fouetque.
FERNANDVS Medices, FERNANDVS maximus heros,
Dum colit illustres artes, studiumque Mineruæ,
Dum fauet ingenÿs, & largè præmia reddit.
Hinc multi libros, & docta volumina condunt,

Hinc

Hinc adsunt multi, Aonidum qui ad dona trahuntur.
Multi iter ad Superos, & cœli fulgida tecta,
Eloquio culto facundi & Nestoris ore
Ostendunt, sacro implentes sermone virorum
Pectora, tradentesq; humanæ firma salutis
Præcepta & quorum vere sapientia summa est.
Cui diuina est, æterna, & cælestis origo,
Spiritus est auctor Sanctus, spirabile numen.
Doctrina ante alias diuinis floribus aucta,
Ostendens res æternas, quibus vsque fruendum.
Sunt Pater, & Sanctus cum Nato Spiritus vna,
Communi qui intra se se bonitate fruuntur
Aeterni, & quamuis tres re videantur eadem,
Sunt tamen illi vnus vere DEVS, ipse remotus,
Omni à materia, ac simplex purissimus actus.
Cum Pater omnipotens tantum se intelligit ipsum,
Producit Verbum, amborumque ex mutuo amore
Procedit Sanctus connectens spiritus ambos.
Attamen illorum nullus maiorue, minorue,
Posteriorue, priorue, at prorsus sunt simul omnes.
Vna, eademque tribus natura, atque vnica virtus,
Gloria, maiestas, numenq; est omnibus idem.
Hæc illi expendunt, & multa alia alta recensent,
Mille vnquam voces quæ non memorare valerent;
Quàm Patris ætherei sit magna potentia quamque
Non liceat menti humanæ comprendere sensu.
Cum circumfusæ Mundum tenuere tenebræ,
Materiam ex nihilo informem simul ipse creauit,
Cælestes amplos orbes, spatia ardua olympi,
Tot procerum cœtus volucrum sedesq; beatas,
Empyreumque sibi solium, regnumque supernum
Humano generi insonti rectumque colenti,
Aligerumque choris latè, sanctisque repleuit
Spiritibus, quorum plures cecidere rebelles
In stygias umbras sponte, & spiracula Ditis,

In tacitas Erebi sedes, nigramque paludem:
Quos secum duxit, qui in cœlo lucifer almus
Ardebat nitidis cœli fulgentior astris,
Lumine flammigeri perlustrans limen Olympi.
Nunc monstrum horrendum diri niger Hesperus Orci,
Cum socijs adeò in tenebris, & nocte silenti
Sontibus, infelix, rapido torquetur ab igne,
Et miseros manes stagnis exercet Auernis.
Pars tamen illorum fuerat, cui maxima cura
Alta Dei sedes: illi famulatur, & imo
Pectore cælesti attollens dulcedine voces,
Ingeminat, Sanctus, Sanctus, ter magnus, & altus.
Ante duces septem, Patrem, Diuumque hominumque
Assistunt, cuius mysteria magna gubernant,
Dulciàque illorum concrescunt gaudia, magni
Dum spectant faciem Regis, mundique parentis.
Inde, quid in mundo vigeat, noctemque, diemque,
Quicquid terra parit, Nereus quid circuit vndis,
Nimbosos ventos, ignes, & cuncta elementa,
Fluminaque, & fontes nitidos, & stagna, lacusque,
Quæ veluti cœli, & terræ sunt lumina clara,
In quibus, vt speculo, spectat se conditor orbis,
Quem præter nullus potuisset tanta creare,
Miramur? quidnam est, quod non is condere possit?
Omnia namque potest, cui nil mirabile, quando
Construit, atque regit, moderatur, & omnia seruat,
Quæ sunt, quæ fuerant, quæ dehinc ventura per æuum.
Attentè hæc illi sacro sermone recensent.
Sed neque prætereunt, sapiens vt filius, utque
Sit Patris immensi dictus sapientia prima,
Omnipotens Verbum, diuini haud numinis expers,
Vnde salus nobis miseris mortalibus orta.
Hic fuerat tanto nostri inflammatus amore,
Verus homo ut factus nostras habitauerit oras,
Demissus cœlo quo crimina nostra piaret:

D *Spiritus*

Spiritus & magnæ est bonitatis: pectora namque
Imbuit ardore æthereo, cælestia nobis
Munera largitur, uirtute & roborat æqua
Christicolas, fidei nos atque incendit amore
Cælesti, optatis quo digni euadimus astris,
Mortalique docet voce immortalia fari.
Vnde animum afflati nostrum cælestibus auris
Deserimus quicquid terrarum clauditur orbe.
At neque deficiunt, alto qui corde volutant
Omnia, quæ in mundo solers natura creauit.
Vtque ille æternus magni Regnator Olympi
Sit primus rerum motor, sit maxima caussa,
Perpetuo cœlum, & terram qui numine complet.
Diuinam rebus, nequicquam desinat esse,
Indidit inferius virtutem à sede beata,
Et quamuis constet, nunquam mutabilis ipse
Dat celeres cursus rebus, cælisque profundis.
Ille habet æthereos Rex Diuum, hominumque ministros,
Aligeros, orbes ducentes vsque reflexos,
Munere & vsque suo voluentes sidera circum.
Nobilitate vigent omnes, non attamen æqua:
Nam quanto propior Rectori quilibet alto est,
Nobilior tanto radiis fulgentibus ardet.
Semper & illius diuina arcana penetrant,
Semper & illius suspectant ora sacrata:
Cumque ægri fundunt languenti è corpore vitam,
Assistunt, animas vt cæli in sede reponant.
Maiora illorum fuerint tum gaudia nostra,
Victorem lethi Christum vt spectabimus altum
Humano indutum spolio in regione beata.
Sunt tamen æterni, nam Verbo iure fruuntur.
At DEVS æternus per se immutabilis vnus,
Quo nemo valeat meditari pectore maius,
Principium, & finis solus qui noscitur esse.
Sunt alij artifices legum, Iurisque periti,

Condigna egregiæ referentes præmia mentis,
Leges dum pandunt sacri in certamine Iuris,
Hi late enarrant sanctæ præconia legis,
Quę data iam fuerat nobis diuinitus, etsi
Callidus humanas inuenerit ipse Prometheus
Artes: at leges altis Cÿllenius astris
Detulit in terras iussu Iouis altitonantis.
Hinc legum meritò latores æthere celso
(Condere quas nequeunt magno sine numine Diuum)
Sunt positi, vt referant mercedem, & præmia facti,
Atque ibi iam veluti radiantia sydera fulgent.
Quare qui seruat legem, est cœli inclytus heros.
Quique illam violat diuini numinis hostis.
Sic ascripta Ioui quondam Minoia iura,
Quaque Solon posuit, Lacedemoniusque Lycurgus
Et Phœbo, & doctæ prisci tribuere Mineruæ.
Iustitia insignes Superis permagna reportant
Munera, namque altis ramis Dodona ministrat
Pondere cum magno victum, funditque benigne
Florentes arbor fructus, Tritonque canorus
Dat mutos iustis pisces, lautisque recumbunt
Cælicolum mensis fruituri nectaris haustu.
Vt Rèx æternus præfulget lumine sacræ
Iustitiæ cultor, nam Christo natus habetur,
Tam iustus iudex, quam paret legibus æquis,
Aureus illi oculus, lustrat qui sparsa per orbem,
Aureaque est illi facies, Diuumque repertum est
In numero illius nomen venerabile. suntque
Illi religio comites, verumque fidesque.
Edocet hæc homines alto succedere cœlo,
Arduus est cliuus, valido sæpimine fraudis
Occlusus, quem nemo vnquam superare valeret.
Illa hic prudentum doctæ stipata corona
In solio residet nullis fulgente lapillis,
Non auro aut ebeno, non barri dentibus indi.

Non has delitias, aut ornamenta moratur,
Sed gaudet duris, & amat sapientia curam.
Quippe vbi non illa est, poterit requiescere nemo.
Namque ibi perpetuo posuere cubilia rixæ,
Furta, & adulteria, & scelerum, & sentina malorum,
Iræque insidiæque, & crimina noxia vitæ.
Ast vbi sceptra gerit, concordi in pace quiescunt
Omnia, tranquillas permulcent gaudia mentes.
Nec tantum feriunt splendoribus æthera claris
Lucifer, & Vesper, quantum micat vndique iustus.
Multi etiam existunt alij, queis carminis artem
Doctus concessit Phœbus, nomenque poetæ
Pierias cantu solitis æquare sorores.
Ille ducem alatum, triplicis flammasque Chimeræ,
Ille canit Martis, seu bella horrentia, siue
Infandos Myrrhæ amplexus, sæuasque cathenas
Quas pro matre tulit Mauri nigra filia Cephei.
Hic Niobes lachrimas, operosi armenta Myronis,
Obscuras Erebi volucres, Acherontis & vndas,
Pleiades imbriferas, glacialis Plaustra Bootæ.
Quidue audax diro Ixion voluatur ab orbe:
Progeniem Danai ad flumen quæ pœna retardet:
Perfidus & siccis media vt sit faucibus vnda
Tantalus: & lapidem defessus Sisyphus vsque
Vrgeat: & Titius sua det lamanda rapaci
Viscera aui: atque horrenda etiam miracula terræ,
Centauros, Hydras, Sphingas, rabidasque Chimeras,
Et tribus Inferni custodem faucibus antri:
Arcadicæ vt volucres immundis sordibus ausint
Odrysii Regis mensas fœdare nefandas:
Vt gerat inuictus pharetra sua tela Cupido,
Et plumbum obtusum, aut aurum iaculetur acutum,
Et qua Neptumni tellus circundatur vndis,
Fulgida quaque altum percurrunt sydera olympum.
Sceptra gerat, teneatque ferox sua iura tyrannus

Hic iuuenum flammis ardentes concitat, ægris
Extinctos senibus reuocat, retrahitque calores,
Et teneræ ignoto pectus ferit igne puellæ
Insciàque insolito tentat præcordia motu.
Ille canit Phœbum ducentem ad flumina latà,
Mulcentem & calamo simas per prata capellas.
Vtque minax spolium spreuit, posuitque Leonis
Amphitryoniades, inuoluens stamine fusos
Ferratam manibus clauam queis gesserat acer,
Vtque hac immitem non vincat cura nouercam.
Hinc alij attente scrutantur lumina cæli,
Et monstrant radio descriptum gentibus orbem,
Astrorum & varios cursus, solisque labores,
Errantem lunam & tacito labentia cælo
Sidera, & vt Phœbus demittat languidus ignes,
Deficiat cælo Phœbe reditura superno,
Vnde oriens referat renouata cacumina cornu,
Prædicunt. sæuus cum largos excitat Eurus
Imbres, cumque æther horrescet grandinis ira,
Flatibus & rapidis fuluas cum Pontus arenas
Concitus inuertat. turpes cum candida morbi
Corpora corripiant, confectaque frigore lethi:
Infandas ferro strages, cum stringere dextra
Incipient sæuos enses in vulnera Reges:
Horrifico sonitu cum vasta tonitrua mentes
Humanas terrent, & contremit arduus æther:
Horrida nimbosos spirantes frigora Cauros,
Riphæasque niues, queis agros verberat Auster:
Et mores hominum rerum sortemque futuram:
Vtque nouus Titan, radijs dum nascitur almus
Fuscatis, gelidos puris riget imbribus agros.
Hos vsu haud superant stellarum ægyptia tellus,
Aethiopes nigri, Babylon, nec maximus Atlas.
Inque globis alij signis punctisque notatis,
Designant celsos montes, & flumina flexa,

Et maris immensi tractus, & inhospita regna.
Hi quinque in partes disponunt æthera, quarum
Esse duas memorant niuibus, glacieque rigentes
Extremas gelido viduatas frigore nunquam:
Et quas semiferæ gentes habitantque, coluntque:
Et scythicum ad frigus duris mapalia in aruis,
Agrestesque casas ponunt sua rura, laresque.
Altera sed nimio Phœbi supposta calori
Aestuat, in qua sunt vrbes, populique frequentes:
Aethiopes, Arabesque suos posuere penates
Ostro conspicui, gemmarum pondere, & auri:
Illic bis segetes lætas fœcunda quotannis
Concedit tellus, pomisque exuberat arbor.
Ardentem hanc inter referunt, interque rigentes
Esse duas tepidas, frugum, pecorisque feraces.
Quarum vnam incolimus læti, pars altera nostro
Insistens aduersa solo vestigia, & vt nos
Calcat humum, spectans conuexum lumine cælum.
Illis dum Oceani Phœbus se condit in vndis,
Vndoso nobis se tollit ab æquore curru.
Quicquid & is circum radijs fulgentibus ambit,
Incolitur firmumque datur consistere gressum.
Orbem quis credat varijs sine gentibus esse,
Et sine terrarum spatijs, pelagique furentis?
Alter depingit formam, propriamque figuram
Præclaræ vnius quam recte nouerit vrbis.
Non circa hic quantum, sed circa quale laborat
Picturæ insignis gnarus, quam scire necesse est.
Coniuncta ostendunt partim, partimque remota
Materiæ inde alij docto sermone docentes.
Qui attentos reddunt animos, dum obscura retractant:
Sit quantum ingenium nostrum versatile, possitque,
Hac arte & quantum valeat mens, noscitur, & qui
Præditus est illa, cunctis animantibus vnus
Præualet, vt quisquam valeat vix scandere summa.

Hac

Hæc sine virtutis sublimia culmina docti
Hæc eget auctoris, nec per se discitur, & qui
Non illam addiscunt, hebetes, stolidique vocantur.
Omni errore caret, iuuenes hanc discere oportet.
Omnia, quæ nobis possunt contingere in horas,
Ingentij tradi est penitus nescire, quid vltra?
Ad superas cœli sedes præludia pandit.
Corporis infirmi morbos medicaminis arte
Sanandi est alijs virtus Epidauria, quique
Peruigili cura vitamque, necemque requirunt,
Et quorum est vitæ in manibus lethumque, salusque
(Namque ægros animi tantum mors effera curat)
Quid iuuet, & corpus nostrum quid lædere possit,
Morborum caussas humores quatuor esse,
Qui simul humano coeant in corpore, monstrant.
Quorum diuina est reliquis sapientia maior,
Præclara, insignis, totique salutifera orbi,
Terrarum domino, summoque reperta tonanti.
Iussit qui magnos illi nos reddere honores.
Nempe illa à medio dicta est, sunt munera cuius
Sanare ægrotos, & sanos inde tueri.
Hi quoque stellarum cursus, motusque, viasque
Perpendunt taciti late, cælique meatus.
Ignarus quorum, est oculus quasi lumine captus.
Nam vario semper radiantia sidera cursu
Humana afficiunt lethali corpora, morbo.
Et Deus illorum cursu terrena gubernat
Omnia, & exercet cælum sua iura vicesque.
Hanc multi proceres, quos nostri temporis ætas
Produxit celebres ad finem solis ab ortu.
Syluius, Altimarus celebris, Fernelius, atque
Fallopia, Olerius, Vidus, Massaria, & ille
Mercurialis honos Phœbi, quo nullus in orbe est
Vtilior nobis, pellat qui corpore morbos,
(Nempe suis libris nomen per secula tendit

In

In quo scriptori nunquam concesserit ulli)
Et plures alij illustres posuere sacrati
Aurato templi solio sublimis honoris.
Nec tantum Aonios fontes laxauit Homerus,
Nec claro Vates Andinus carmine, quantum
His medicina uiris iam nunc feliciter aucta.
Sunt quibus incensum pectus perflagrat amore
Monstrandi rerum caussas, pariterque potentis
Naturæ effectus, & magni exordia mundi.
Materia, & forma consistent velut omnia, quæ sunt
Per se principia, vnde aliud priuatio transit.
Sideream inde animam nullis occumbere fatis,
Ast esse æternam, cui clausa est ianua lethi.
Concilio Diuum assistit fruiturque supernis.
In qua consedit magni sapientia olympi:
Nam si illa ignaua caderet cum corpore morte,
Nullus homo extinctus terreret corda virorum,
Vt canis, & serpens æterna luce carentes.
Ergo aliquid viuens post funera corporis extat.
Vtque DEVS summus mundum, sic corporis artus
Illa regit, forma & donat, sapientia cuius
Perfecta est, quando tenebris se euoluit ab atris,
Nititur & felix cœlesti sede potiri:
Secura & quando ueneratur numina Diuum
Aethereasq; auras, & cæli ad tecta remigrat.
E quorum aspectu exoritur iucunda voluptas,
Qua gaudent animæ superum, quæ in sæcula uiuunt.
Cui Pater occurrit Diuum, & coniungitur illi,
Diuinamq; adeo format, redditque beatam,
Vnde illi similis facta & DEVS esse videtur.
Vt ferrum candens ignis veri instar habetur,
Cum rubet in flammis, & semina concipit ignis,
Et tamen est ferrum semper, licet igne coruscet:
Sic anima est eadem semper, licet ignibus almis
Perfecta in cælo mutet, varietque figuram,

Exuta

Exuta humanam, diuinam induta supernè
Naturam, semper solijs fruitura beatis,
Et Procerum cœtu, ambrosii & dulcedine cantus.
Spectat res sacras, holocaustaque sancta, merumque,
Et Regis nitidis ornata palatia gemmis.
Hæc videt exemplo cæli bona cuncta profundi,
Attamen haud Patris potis est spectare decorem,
Quo gaudent Superi dignati munere tanto,
Et quo lætantur vates, animæque beatæ,
Fulgore æterno nè lumina perstringantur.
Gloriæ at excelsum lumen supereminet illi,
Fulgentem pandens splendorem syderis instar,
A quo tantum haurit lucis, tantumque vigoris,
Vt validum robur mox colligat, & velut ales
Regia, diuinum valeat discernere numen,
Immensum, non conclusum, & sine fine beatum.
Sicque videt lucem impertitam à lumine Solis,
Atque uidens illum, poterit quoque cuncta uidere.
Quid non ille uidet, uidet in se qui omnia habentem?
Omnibus in rebus simplex qui est omnia solus.
Est opus hoc lumen, valeat quo noscere fontem
Luminis ipsa anima in cælo, vt sit facta beata.
Gaudia sint quanta in magno quis dicat Olympo?
Lætitiæ quantum aut superos captare beatos?
In quorum uisu dignoscitur arbiter Orbis,
Rex regum, sapiens unus, qui cuncta gubernat,
Numen habens magnum noctemq́ diemq́ ministrans,
Et cælum, & terram imperijs, & fulmine terrens.
Nil aliud quoque, ni cæli, terræque ligamen,
Affirmant mundum, quem maximus ille creauit
Ex nihilo iam rerum opifex, formàque rotundum.
In medio stat pondus iners, stat dædala tellus,
Et circumfuso libratur in aere nullis
Fulta opibus, flexi speciem sed condita in orbis
Qui cadit, & surgit qui respicit vndique cælum.

Lex Patris aetherei diuina, atque vnica virtus,
Vt columen quoddam est, sustentans omnia, quare
Cum sit compositus diuersis vndique rerum
Principijs mundus, nec sit corruptus, & omni
Parte, elementorum rupta compage, solutus,
Euenit hoc sola diuini lege parentis.
Ille etenim, qui clara dedit fulgescere cælo
Sydera, palantesque retorto tramite stellas,
Ardentes Phœbo radios, & cornua lunæ,
Alituumque genus tenues dispersit in auras,
Squamigerumque greges liquidas innare per vndas
Iussit, & omnigenos terras habitare patentes
Quadrupedes, ille ipse etiam iam pondere recto
Frigida cum calidis librauit, & humida siccis,
Cum leuibus grauia, & cum duris mollia, & ipsa
Tunc elementa simul discordi pace ligauit.
Hinc mundi in medio, qua parte quiescit ab omni,
Suspensam posuit terram grauitate iacentem.
Quid quatiat terram inquirunt, quidue inde sonora
Flamina sollicitet vesani in littore Ponti.
Quis dedit, vt tellus cerealia munera fundat,
Diues & Autumnus grauido de palmite fructus
Proferat, & ducat quis vasta per æthera nubes.
Vtque homo se circa mores, legesque gubernet,
Insinuant alij, vt seruatis ritibus vrbis
Traducat recta ratione in secula vitam.
Et qua mente gerat prudens moderamina rerum,
Nutriat & natos studio sociamque iugalem,
Compescatque dolos, tedarum sopiat ignes,
Iustitia ciues concordi in fœdere iungat,
Imponatque aris solemnes thuris honores.
Quorum doctrina madidi aspernantur inanes
Fortunæ euentus, rebus quæ aduersa secundis
Fallax, cæca DEA, admiscet, dat munera nullo
Ordine, sed peiora fouens, rursum erigit ima,

Et

Et rarò magnis parcit virtutibus audax:
Omne rotat fatum,celeri & res turbine versat,
Improba quam prohibet vestigia sistere Clotho.
Praestantes alij ingenio sunt quinque docentes
Porphyrij voces,vt sit substantia duplex
Nam prima est numero,quæ maxima dicta:secunda
Sunt genus,& species rerum,quodq; accidit,atque
Esse duo non posse simul contraria dicunt.
Nam facere atq; pati non possunt iuncta coire.
Possumus hinc ortus,obitusque addiscere rerum,
Possumus hinc late vero distinguere falsum,
Namque Poli gyrum sublimis circuit hæc ars:
Quæque alias omnes in se se continet,& quæ
Est via recta,docens nos respondere diserte
De rebus cunctis,quas tu cognoscere tentas.
Quærit,& insistit,doctrina hæc certa vocatur,
Omnia iure probat,studio comprenditur acri.
Sunt qui agitant caussas,docto sermone potentes
Inuictos trahere ad se animos,ceu littore Siclo
Fluctiuagi nautæ coguntur voce canora
Syrenum quondam iucundos carpere somnos.
Ingenium quibus est velox,& dulce loquendi
Pondus,& audacis victrix opulentia linguæ,
Iuris præstantes,validi componere fluctus
Bellorum,eloquio multa qui laude redundant,
Ore sedet dulci vitæque,necisque potestas.
Consueuere olim latij iuuenilibus annis
Sermonis cultum,& selecta addiscere verba.
Nec desunt alti præstantes arte docendi,
Qui iuuenum faciles animos formare laborant,
Nunc prece,nunc monitis,illosque incendere ad æquam
Virtutem,instantes patrijs hortatibus,& qui,
Vt duce virtute,ostendunt,laudabile quantum
Sit proceres inter claros præstare,docentque
Splendida prudentum vatum cognoscere scripta,

Et celsas doctæ Cyrrhæ conscendere rupes.
Promere qui solido fulgore micantia verba
Siqua volunt, certaque adeo ratione docere,
Auctorum mentem ostendunt condigna sequentum,
Turpia nam intenti vitant cane peius, & angue.
A s comes est dulcis secreti alimenta ministrans
Angustæ vitæ eximia celeberrima laude.
Delectat pueros prima cum pube uirentes.
Confectos æuo, & fessos grauitate senili,
Et iuuenes illam, & cunctos callere neceße est.
Cum satis exemplo alterius perdiscere uitæ
Expediat nostræ, ut semper meliora sequamur,
Ante homo, quàm natus fuerit, quæ facta fuere
Si ignoret fatuus semper puer eße videtur.
Hinc multi, vt prosint alijs, transancta notare
Tempora non cessant, Herum & scribere laudes,
Et bella, & paces longum diffundere in æuum.
Parthorum celeres arcus, & funera Craßi,
Audaces reges quos fregit Marte uel armis
Victor, & aurato Curius quos duxit in arces
Torpeias curru: peragunt præconia fortis
Ausoniæ imperiique grauis felicia regni
Limina Tyrrheni, & Floræ fulgentia tecta
Oppreßa à rabie, quam Mænalis occulit Vrsa.
Hæc cum principibus tantis, & Marte secundo
Impauida influxit bellum, terrasque subegit,
Victorum fama Spani, Folchique superba:
Aerea qui hostili fregerunt cornua lunæ,
Et toties acies ferro strauere libyßas.
Pontifices summos memorant, quorum inclita facta
Perpetuò docto celebrabunt carmine Musæ,
Qua rutilus Titan fœcundos incipit ortus,
Et qua tingit equos extremo in littore Ibero.
Regina regum matri quæsita retexunt
Imperia: & domitas armis castrensibus urbes:

Laurigeros plausu, testataque limina currus:
Inuictumque animum duris in rebus, & vna
Horrendos enses COSMI, pugnasque feroces,
Et patrios auctos fines, claßesque paratas,
Quæ lybiæ regem timidis terroribus implent:
Et magni imperij vires, clarosque triumphos,
Tendentes fama extremis à finibus orbis,
Ad geminos axes vsque: & præclara secundi
Facta DVCIS Magni, ferret qui ingentia regni
Pondera, quæ assiduis onerabant pectora curis,
Ni foret is nobis fato præreptus acerbo.
Principis ac nostri, Tuscis qui præsidet oris
Laudes: vtque suis regnatas legibus urbes
Temperet, & regum sceptra, vt ditione gubernet,
Quos cernit populos Titan, dum condit in vndis
Cæsariem, & quos dum rubro de littore surgit:
Instruat æquoreas classes quibus æquora frænet,
Et Thraces versis adigat dare terga carinis.
Illius in nomen deducere carmina vatis
Mæonij æterno res est condigna fauore.
Est animus noster cupidus perdiscere, donec
Dignoscat Dominum, poterit requiescere nunquam.
Namque suum finem natura quærit, & optat.
Qui tamen (ut constat) quamuis sit purus, & expers
Omnis materiæ, omnino perfectus erit, si
Virtute egregia exornet se se undique: namque
Quem penes est uirtus, præclaro effulget honore.
Cui fortunatam præbet sapientia uitam,
Consimilem Diuis Superis, medijsque tenebris
Eruit hunc audax uicturum secula mille.
Hęc gemmis Arabum multo preciosior est, nam
Deficit haud unquam, sed uatis secula uincit
Cumææ, & semper uiuax, experfque sepulchri est.
Hinc qui muneribus summi sapienter olympi
Vsus erit, rerum prudens diuina requirit

Omnia,

Omnia, iamdudum mortalia cuncta perosus.
Hic iuga non patitur, dominum non sustinet vllum,
Non breue deducet positis sub legibus æuum:
Imperio at videas claras regnare per vrbes,
Illius & tandem se attollere nomen ad astra.
Hinc patriæ splendor nostræ illustrissimus ille,
FORTIGVERRARVM Sidus, rubrique Senatus,
Christicolæ fidei, sancti & cui Pastor ouilis
Pro meritis Tyrio crines innexuit ostro
Ille, Pius Petri residens in sede secundus:
Et quem Parthenopen fauste insignire corona
Regali regis Fernandi tempora misit:
Fanum expugnauit, duros vicitque Sabinos:
Ense pio simul Euersanos arcuit hostes:
Armis Flaminiam pressit, veniamque precari
Ore Malatestam astrinxit, domuitque superbum
Hic & sollicitum studium sapientiæ, & omnis
Doctrinæ in primis coluit sic semper, vt olim
Hac in nostra vrbe, æterna ceu afflatus ab aura,
Erigeret Musis has ades dulcibus, & quas
Cernimus (vt credo) Graiorum exempla sequutus:
Regis opus, nostræ pubi quam maxima præstans,
Præsidia, imperia exuperans, & flumina Cræsi,
Et Triuiæ templum, & Priami regna ampla potentis.
Fluctibus hinc plenis concrescit nobilis Vmbro,
Vmbro Pyrrheis antiquior imbribus, & qui
Intrepido extremos cursu se extendit ad Indos:
Innumeris illustris auis, vel pace, vel armis,
Dicendi genere, & validis prædiuite lingua,
Cuius olorigero non inuidet vnda Caystro:
Cycnorum illa greges celebres perlucida pascit,
Ortos se circum resonantes gutture Delum:
Hac sacros vates, superant qui carmine olores,
Queis chorus Aonidum contexit tempora lauro,
Lauriferi existunt magni qui gloria Pindi,

Quorum

Quorum nunc partem facili memorabo Camœna,
Illorum & celebres conabor dicere cantus.
Nunc mihi succurunt hæc non indigna relatu.
Hic multas equitum turmas, peditumq́; cohortes,
Ipse Vmbro inspexit peragentes martia bella,
Ciuiliq́; feros absumptos clade Quirites:
Quorum ego funestas accingor dicere pugnas,
Et breuiter tanti narrare exordia belli,
Transierat quondam descendens montibus Heros
Per nemora vmbrosa, & valles, syluasque profundas,
Incedens procerum magna comitante caterua
Vmbronem iuxtà, & stupidus tot corpora sæuo
Extincta vt uidit ferro, quid caussa cruoris
Tanta esset quærens, hæc illi candida Nais.
Pistoriensis agri locus est celeberrimus, vrbem
PISTORIVM ueteres olim dixere parentes.
Hic iam facta fuit clades miseranda Quiritum,
Dum cuperet fieri patriæ Catilina tyrannus,
Insignis titulis, fuluo ditissimus auro,
Cui formam Superi egregiam, roburque dederunt,
Quemque sequebatur vitijs maculata iuuentus,
Virtute haud proles rigido inficianda Gradiuo,
Belliger at Consul perductans agmina, quæ sunt,
Vt patriam seruent, morti deuota libenter,
Lorica indutus, genuit quem Dardana Roma,
Alite uectus equo, cristis, auròque superbus,
Militiæ præstans, medijsque in millibus ardens,
Acer, & indomitus notus virtute, triumphis
Præclarus, fuerat cui tum fortuna secunda,
Qui genus à titulis ingens, & sanguine prisco
Duceret ipse alta pietate insignis, & armis.
Aggreditur primus magnus Petreius hostes
Commotos ira, quibus est aut vincere certè
Hostiles acies, aut certe occumbere letho.
Terribilem sonitum tuba dat procul ære canoro.

In-

Insequitur vallis clamor, cœlumque remugit.
O miseros ciues, ò regni stulta cupido,
Quid scelere infando imperiosa assumitis arma,
Aurum qua, mixtumque bibunt infame venenum.
Quam melius nulli obstare, & de paupere mensa
Securis dapibus ieiunia soluere ventris.
Dat letho ciuis ciuem, quos ponere iunctos
Pro patria incolumi corpus, vitamque decebat.
Non cedit Catilina furens, cui prælia obire
Cor iubet impauidum Martis, quin vincere posse
Pugnantem patriam sperat, regnoque potiri.
Non timor est illi, aut trepidat formidine pectus,
Hàc animat dictis acies, hàc prælia miscet
Indomitus, sæuus, violenti more leonis,
Qui vmbrosa in sylua dirus, madidusque cruore
Non ponit calidas iras, hinc inde furentes
Dente premit tauros auido, vitulisque minatur.
Non aliter rabie accensus, tumidusque, furensque
Ille manu infesta in cædes ruit, efferus ira,
Perfusum stringens numerosis cædibus ensem.
Omnibus ille tremor feruet, Martemque fatigat,
Dat laceras latè strages, secumq; iuuentus
Hostibus infestis ferrum tepefecit acutum.
Non furor est tantus tigris, rabidæ ve leænæ,
Siue immanis apri pariter, taurive minacis,
Quanta fuit pubi feritas in tristibus armis.
Agmina per medios mittit Petreius hostes,
Vt iunctos turbet, fusos consumere possit,
Et latera inuadit ualida perculsa cohorte.
Tum vero apparet Martis, rabiesque, furorque.
Assimulare freto possis, quod sæua tremendum
Ventorum rabies præruptis asperat vndis.
Armorum sonitu sylua intonuere profundæ,
Et celsæ horrendis vlularunt vocibus alpes.
Audierant montes, adeuntes sidera rupes,

Audierant gelidi fontes, & stagna, lacusque,
Et celeres fauni tremuère in uallibus imis.
Agricola ad montes se clam subtraxerat altos,
Vomere discincto pariter, taurisque relictis.
Afficit & totidem plagis consumitur hostis.
Aequo animo pugnant omnes, par robur utrisque est.
Sed raro pauci possunt obsistere multis.
Obruitur tandem numero Catilina potenti.
Iam Fesulanus, iam Manlius inclytus armis.
Procumbunt primi magna cum strage suorum.
Iamque suis nequeunt afflictis fidere rebus,
Iam se passuros victos extrema fatentur.
Hoc vnum sperant, ne sic moriantur inulti.
Vtque petita graui ferro cum bellua rupit
Vincula, vindictam properans non vulnera sentit,
Non uidet extremis caput obiectare periclis:
Talem se praestat moriens furibunda iuuentus,
Prodiga gens uitae, & facilis perquirere lethum.
Non tamen illius uiolarunt spicula tergum
Vulneribus cunctis aduerso ex hoste receptis.
At Catilina ferox medios moriturus in hostes
Irruit, & multos nigrum detrudit ad orcum:
Ipse cadit demum caesorum innixus aceruo.
Tunc anima extemplo fugit indignata sub vmbras
Corpus at, & vultus multa de caede cruentus
Terret adhuc spirans terras, caeloque minatur.
Parta bonis, verum constat victoria magno.
Quippe viri fortes contempto munere vitae,
Et nil funestis curantes vulnera in armis,
Tinctam uictori palmam liquère cruoris.
Sanguis ibi effusus tristè & miserabile uisu,
Vndarum more, & saltus, & flumina complet,
Vulnera cruda, necem, mutilataque corpora solum
Cernere tu possis: fletus, luctusque gementum
Implebant maestis geminatis uocibus auras.

Tristia facta procul vidit pater optimus Vmbro,
Visa dolet, placido accurrens sic pectora fatur.
O genus Aeneadum, proles certissima Martis,
Fama vos digni, vos digni laude perenni,
Quos iuuat, vt Patriam seruent, non parcere vitæ,
Ciuilesque hostes, & colla superba tyranni
Fregistis patria seruata sanguine vestro;
At non verba sibi tempus, sed facta requirit.
Corpora vulneribus ferro & consumpta perire,
Vosque ferè vitam cum sanguine fundere cerno.
Ferte citi uiuos, & saucia corpora ad Vrbem
Nostram (oro) doctus curabit læsa Machaon.
Ne uitate domos nostras, paruosque Penates:
Vitali nobis vestra nil carius aura est.
Olli Petreius placida sic voce locutus.
O numen nostræ columen memorabile gentis,
Quas tibi pro tali soluemus munere grates?
Tam tibi debemus, quàm Tybri nobilis Vmbro.
Auxilijs ergo vestris succedimus urbem
Læti: dehinc petimus (si vobis grata petemus)
Vt patriam vestram uestri potiamur alumni,
Nec duo sint populi, at deinceps sola una propago.
Annuit Vmbro pater lætus, quod fœdere tali,
Quos olim Xanthus genuisset nobilis amnis,
Atque suos natos, iunxisset Tybride amico.
Hinc læta incedis Pistoria facta Quiritum
Et domus, & proles, & Martis certa propago.
Hac miserans animi magnus discesserat Heros,
Pistorium uersus tacitus uestigia uertens.
At postquam lætus mox se se ad mœnia præceps
Contulit, admirans urbem, cultusque nitentes,
Quæ solidis etiam extabat circumdata muris,
Et populi plausu ingrediens, ibi templa Deorum,
Insignes titulis multos Heroibus ortos,
Excelsas turres, excelsa palatia centum

Oebalijs

Oebalijs hinc inde uidet suffulta columnis,
Doctrina, atque opibus claros, belloque potentes
Multorum procerum cœtus fasceſque ſuperbos,
Quem iuuenes lecti extra vrbem comitantur euntem,
Queis vnà illustres equites, cum millibus ibant.
Ad patrem patriæ redeo, qui condidit vltrò
Gymnaſia hæc, iuuenes quò ſummos laude decora
Vera virtutis valeant acquirere honores.
E quibus eximij plures viguere, uigentque,
Qui multis animi præclari dotibus olim
Sacrato ueluti fulgebant ſydera templo
Virtutum, & morum, illuſtris quos fama ſequuta eſt.
Et quorum partem memori ſub pectore ſeruo,
Quos ego non tacito iam nunc ſermone relinquam,
Antiſtes GERIVS Fanenſis nomine GORVS,
Quem tenuit muſis pergrata Bononia quondam
Sacratæ ſedis legati munere functum
Iuſtitia inſignem, ſyllanæ præfuit vrbi.
Tanta erat illius ſolers prudentia rerum,
Vt ferret magni Paſtoris pondera, cuius
Præclari ignoret quis nam celeberrima facta?
Quæ ſatis apparens vel priſcis edita faſtis.
Deinde duo GERII fratres, GORI que nepotes,
Ambo paſtores, alter qui nomine COSMVS
In ſacrum patrui ſolium ſucceſſit vbique
Cognitus à doctis, alter fuit ille PHILIPPVS
ASSISII Præſul, ſermone & doctus vtroque,
Virtute eloquij clarus, gratiſſimus alto
Purpureo procerum ſolio, ſanctiq; Senatus,
Inſignis fama, & quorum celeberrima facta
Mœnius quiſnam ſe accingat dicere vates?
Quæ chorus Aonidum haud ualeat perſtringere dictis,
Et CONVERSINVS multis celebratus in oris,
AESINVS Præſul prudens, ſacrique peritus
In primis iuris, memori cui munera laudum

Exuperant fama, & restant monumenta per vrbem
FELSINAE: & AEMILIAE Præses, Romæque potenti
Iura dabat, legesque viris, bellique cruentis,
Quæstor dum CAROLVS Quintus vexauerat armis
GERMANOS Christi legem non rite colentes,
Iustitia vt sacra populos in pace teneret,
Aurea queis larga floreret copia cornu,
Sedulus instabat vigiles perducere noctes,
Quem multa ob merita illustrem clarissimus vltrò
Romanus ciuem asciuit, scripsitque Senatus.

Et queis nam Præsul Bitonti laudibus ornem
Te FORTIGVERRA, aut valeam tua dicere facta?
Iustitia insignis, clarus natalibus amplis,
Aetheream in terris ducens qui corpore vitam,
Relligione sacer, sancta pietate verendus,
Non erat argenti, non auri parcus egenis,
Sed mens vt que fuit possesso ditior auro,
Et quo census erat maior, minor vsque fluebat.
Hincque datum (o felix) cæli tibi cernere Regem,
Hincque datum æternum Superis accumbere mensis,
Et tibi si in longum duxissent stamina Parcæ,
O quanto lætus Tyrio tua murice vincta
Tempora cum plausu spectasset nobilis Vmbro.
Tu decus illius magnum, & noua gloria, & illi
Perpetuo claros decorasti nomine fluctus.

Tu BONACVRSE meis etiam memorabere chartis,
BISSALII quondam Antistes, lux vnica Branæ,
Cui tumidos clara lustrasti lampade fluctus
Hinc tollit caput, & gressus mouet illa superbos.
Iam tibi relligio pura, impolluta fidesque,
Iam Superum casta Regem pietate colebas,
Illustre à magno deducens stemmate nomen,
Iustitiæ sacræ cultor, iurisque peritus
Curabas prauos hominum depellere mores
Pectoribus iustus iudex iam tramite recto.

Nempe ad oues precibus nullis accitus alendas
Virtute, & morum exemplo meritisque vocatus.
Aonides Nymphæ præclaro carmine laudes
Vsque tuas dicunt mulcentes sydera cantu.
Non te ego AVELINI indictum tacitumq́, relinquam
VANNINE Antistes gratum cælestibus oris,
Egregia ardentem magno virtutis amore.
Ipse gregem large pascis, nutrisque sacrato
Rore, docens late cæli præcepta beati,
Quò bene sydereas possit conscendere sedes.
Sicque illi auxilium præbes, affersque salutem,
Sic animas sacro iam iam medicamine curas.
Vndique conueniunt cupidi tua maxima facta
Dicere iam vates cithara, numerisque sonoris
Aethera complentes, rapidi quæ Tybridis vnda, &
Vmbronis tusci obseruat: tua fama per omnes
Illustres latè uolitat memorabilis urbes,
Et tibi ni inuideat uiolenta potentia fati,
Purpureo incedes redimitus tempora serto
Ob merita haud parua, & fiam non vanus aruspex.
Pauca quidem dixi de Herorum laudibus, at iam
Plurima fama feret, uerò sed cuncta minora.
Si me Pimpleo docuisset Phœbus in antro,
Dulcisono cantu tenebris, & nocte silenti
Maiores nostros reuocarem in luminis auras,
Illorum & celebres laudes, atque inclyta facta,
Nunc adeo obscura & seclis incognita nostris,
Mandarem numeris, qua sol accedit ad oram
Obscuram & radijs extremos inficit Indos.
Forsitan hæc poterunt homines incendere amore
Nominis æterni seclis memorata futuris.
Nunc mihi succurrunt alij, qui insignibus aucti
Laudibus effulgent morituri nomine nunquam,
Quorum Vmbro meritas laudes annalibus addet,
Quos modò fert animus breuibus perstringere chartis,

Inflammem vt vestras mentes virtutis amore.
Doctrina praestans patria noua gloria nostra,
Sed cultu aeterni praestantior vndique regis
Non Phyliarcus erit nostro sermone relictus.
Notus qui fama, qui digna volumina cedro
Condidit, egregiè Diuum quae arcana recludunt,
Quò bene possimus conscendere ad aethera caeli.
Namque aperit quaecunque latent obscura, relinquens
Nil intentatum veri, qui laude refulget
A sole occiduo ad tractus vbi Phoebus Eoo
Aspergit terras ortu lucemque recludit.
Nec MARCELLINVS nostris indictus abibit
Carminibus, cuius sermoni affulsit ab alto
Rex Superum, in templis Pauli dum munus obiret
Hic pollens sacro eloquio radiantia verba
Fulgore aethereo effudit, velut inclytus ales
Alta petens, sensuque volans super ardua mundi.
Sermone ardenti caeli se abdebat in aula
Dum populis latè pandebat mystica sacra.
Excidit haud animo insignis pietate, sacroque
Sermone, & Diuis gratus FINVGIVS ille,
Qui tristes mundi curas contempsit, & auram
Vulgarem vitaq; humilis, morumque remissus
Oblatum spreuit fulgentem sponte Galerum:
Paupere cum coetu laetus traducere vitam
Maluit in claustris, coelestum more reclusus;
Confectus macie, & vili contectus amictu,
Sacra canens, populique vehens super aethera sensus
In templo veterum pandit dum oracula vatum.
Ille PIO Quinto casto dilectus amore est,
A quo delectus sanctissima praetulit audax
Christi vexilla aquoreis in Echinados vndis.
Classibus inque pijs adstans, altoque tumultu
Signifera in puppi existens, clamoribus altis
Christicolum exhortans animos concurrere in arma

Inuictos, cælo supplex immota tenebat
Lumina, largifluoque humectans flumine pectus,
Corde humili, sursum palmas cum voce tetendit,
Da Pater auxilium nostris sanctissime rebus,
Aspice nos, & da victricia signa referre.
Dixerat ille ferè, sic omnia fecerat vnus.
Nam Romana ratis duxit cum laude triumphos
Victrix, atque adeo multis ornata trophæis.
Est madidus sacris uerbis FINVGIVS alter
Claustrorum decus, & sophia pia pectora plenus
Egregius doctor, clarans sua claustra legendo,
Seu linguam exacuit docto in certamine, siue
Cælestum in sacris rostris penetralia uulgat,
Effundens doctas voces, uenerandaque uerba
Ore canens, ueluti diuino numine plenus,
Aulæ calestis dum mira arcana recenset.
Nunc GERIVS Superis adeo gratissimus ille
Altius insurgit fasces qui spreuit, & ostrum,
Horridus in claustris, indutus ueste cilissa,
Aspirans opibus Diuum regnisque supernis,
Attonitas hominum mentes qui reddit, & ora,
Mystica sacra DEI, & ueterum dum oracula uatum
Explicat, in templis mortalia pectora replens
Ardore æthereo, rectique inflammat amore.
Illum qui orantem non audit, Dorica nescit,
Et Romana sua quantum facundia linguæ
Cedat; sermoni & superata assurgat hetrusco.
Regia cui cæli duplici diademate crines
Ob merita adstringet, summaque in sede locabit.
Nec Sozomenum taceo, qui temporis acti
Optatis monstrans annalibus inclyta facta,
Res fama retulit dignas, uitamque uirorum,
Naturam, & studia, & mores caussasque retexens.
Consilia, atque actus rerum præ diuite lingua
Integer, & uerus, promptus, grauis, atque disertus.

Carmine

Carmine tu quoque Charteromache Scipio, cur non
Diceris nostro? gracis, lattisque Camœnis
Cognitus, æterno qui clarus nomine uitam
Producis celebrem superato numine lethi,
Qua exoritur Titan, & quà lauit æquore crines.
Fulgida quos veluti latè inter sydera Phœbe
Resplendet Florauántes, qui condidit illas
CENTVRIAS legum bene olenti flore nitentes,
Quæ obscura illustrant testandi iura, docentque,
Pergrata doctis, fundentes Iuris odores,
Qui ad studium illarum inuitant florente corona,
Quam themis innectit, gemmisque micantibus illas
Implicat, vt seclis splendescant vsque futuris.
Ast vbi sunt illi celebres, quos tollit ad astra
Gloria sacrarum quondam duo lumina legum,
Alter concilij sacri consultor in Vrbe
DON dorus egregiæ famæ, qui prouida Iuris
Responsa illa viris doctis gratissima passim
Scripserat optata, & veram testantia laudem,
Et quorum Ausonias se sparget fama per oras,
Dum referet fessis nox grata silentia rebus
Rexque abiget cælo cunctantia Phosphorus astra:
Alter & illustris fama cognomine TANVS,
Atque Rotæ auditor rubri cum laude Senatus.
Sunt ea, quæ scripsit, celebri dignissima laude,
Lumina clara ferunt tenebris e iure fugatis
Tristibus usque foris, quæ exercet turba patronum,
Cæruleo quorum Tybri non cura recedet,
Dum freta ueliuolas agitabunt turbida naues,
Dumque altis longa descendent montibus umbræ.
RICCARDVM referam legum, iurisque peritum
Qui docuit clarus, scripsit clarissimus illud,
Quod terit assidue doctorum publicus usus,
Clarum opus, & multis doctrinæ insignibus auctum.
Et ni immatura prareptus morte fuisset,

Par legum priscis nostrarum autoribus esset:
Quæ victura magis poterant monumenta relinqui
Ingenij quàm quæ soluant ænigmata iuris?
Hunc ornant iuris laudes atque inclyta virtus,
Præclarumque genus præfulgens sanguine prisco,
Illius & postquam fregit fera licia Clotho
Perpetuò vixit, durando & secula vincet.
Vitam producit doctus, clarùsque Morettus,
Iustitia insignis cui non fatalia Parcæ
(Concordes quamuis) potuere resoluere pensa.
Cuius & ingenium admirer, studijque labores,
Queis sibi quæsiuit clarum per secula nomen,
Sacri vt testantur tabulæ, monumentaq́; iuris,
Quæ Themis adstringit sertis, & fronde coronat.
Quorum testis adest laudum Mauortia Roma,
Quæque suis addit priscis annalibus, illa
Et lauem Cedrum & vaccinia nigra merentur
Olim quæ extincta inuidia mirabitur ætas:
Docta manus passim iuris terit illa peritùm
Euecta in fama volitantis curribus altis,
Oceani Titan qua currum merget in vndis,
Aureus & rutilo primum quà nascitur ortu.
Omihi si doctus tribuisset carmina Phœbus
Mæonia, efferrem VAnnozzum ad sidera cæli,
Et canerem fauste, quis nam facundior illo?
Munera Cecropiæ scribit præclara Mineruæ,
Quæ nitido splendore micant, ornata figuris,
Eloquio & culto facundi Nestoris ora
Exuperant, nulli uenient quæ ingrata legenti,
Siue rudis fuerit, siue aut uirtute beatus.
Illius hinc ingens quæsita est gloria libris,
Quæ inuidiam superat uera in certamine laudis.
Fortunatus erit qui sit celebratus in illis.
Brana uirum hunc talem ò quantum genuisse superbit?
Cuius ter celebres protendit nomine cursus,

Et super Hesperios, Gades, & Seras, & Indos.
At modo dicendi facilis si copia adesset;
Et mihi Mæonides non carmina culta negarent;
Præclarum canerem VITVM sibi nomine vitam
Qui illustri æternam virtutum laude parauit
Terrarum insigni fama vel notus in orbe.
Ille Theses celebres posuit certamine laudes,
Et summo audacter Paduæ defendit honore,
Prudentum cœtu inclusus qui denique palma
Rettulit ingenti doctæ cum laude coronæ.
Et quis erit vates laudum succensus amore,
Qui satis hunc valeat doctis intexere chartis?
Quid? quod & humano de corpore & ossibus ipsis
Clarum opus effinxit? res est vel digna fauore
Castalidum: vos nunc fas est sua dicere facta,
Inclyta terrarum quorum orbem gloria complet.
Non me ego inaccessæ nunc ausim credere rupi.
Nec desunt celebres Cycni, qui sidera latò
Emulcent cantu, & properantia flumina sistunt,
Pierias ualidi Diuas anteire canendo,
Et sæuas mulcere feras, uentosque morari.
VECTIVS in cœlum nitidis olor euolat alis
Ingenij, & morum, resonans nemora aspera Cyrrhæ
Orphæo cantu, celebrant quem laudibus amplis
Sublimem fama diues Pactolus, & Ister:
Carmina sunt illi Phœbo dictata canoro
Plura, quibus docto est modulatus gutture multa.
Iam cupidi illius cantus audire sonoros
Mutatos cursu Vmbro, Tybrisque morantur.
Et BRACCIOLINVM nostris intexere chartis
Conuenit, ore suo uolucres qui sistere suetus.
Sidera dum mulcet cantu conflagrat amore
Flumen Cocyti, & Boreas dum frigore terram
Indurat, Latis ornatur floribus Aetna.
Pastorum molles cecinit scripsitque calores,

Nunc

Nunc pia, quæ victor collegit Heraclius arma,
Suscitat heroo plectro, lignumque relatum.
Dulce Crucis nobis sacrati in culmina montis.
Clarum opus, & carum ingentis præstantibus, & quod
Nostra ætas alijs præfert rumore secundo,
Illius & laudes æternum extendit in æuum.
Cedite scriptores Romani cedite Tusci,
Nil habet in magno se maius Heraclius orbe.
Est alius Musis gratus FIDISSIMVS ille,
Qui decus, & celebres Vmbroni impartit honores,
Et docto ante alios Phœbo dilectus amore,
Pro quibus est adeo pulchris insignibus auctus.
Ad quæ præclari haud virtus spectata parentis
Incitat, ipse animum per se calefecit amore
Ingenti, æternum vt pariat sibi nomen in æuum.
Hic cecinit tedas Mariæ lætosque Hymenæos
HENRICI: & FORTIGVERRAM, cui purpura cinxit
Augustos crines rubri cum laude Senatus.
Protinus vt longum fuerit solata dolorem
Brana olim Nympha illustris non vltima Flora
Daphnidos aduentu illius Pastoris amati,
Atque adeo optati plausu, & dulcedine læta.
Omnia quæ blando resonat feliciter ore,
Omnia quæ ad seros venient pergrata nepotes,
Dulciloquo hic cantu validus reuocare tenebris
Eurydicen stygijs, atque Orci flectere dirum
Custodem & tristes Manes, regemque tremendum.
Atque etiam referam te nostro carmine Cycnum
Præclarum Fortiguerram, qui ad sidera dulces
Attollens cantus fundis mella aurea voce.
Gutture facundo comples sublimior aures,
Auspicijs Superum fuerit delectus vt olim
CACCIA Alexander, cælo & demissus ab alto,
Vt sacro in solio cinctus diademate frontem
Syncerus animos mysteria sancta doceret.

Talia dumque canis, Zephyrus sua lenia flabra
Non mouet, & Titan roseis non instat habenis.
Ni modo deficerent vires in carmine docto,
Efferrem cælo G Attesi hum laudibus amplis
Ambrosium Cycnum vincentem plectra canendo,
Aurea sublimi qui sydera vertice tangit.
Cui genus est clarum titulis, & sanguine auito:
Ille sibi celebrem famam per secla propagat:
Ille suis numeris aures permulcet, & auras.
Nulli qui cedit de quo iam maxima fama est.
Nempe animi dotes qui non miratur in illo,
Præclara inuidiæ præbet documenta malignæ.
Verum alios cuperem similes perstringere versu,
Quorum scripta virent uiridi seruanda cupresso.
At si Mæonij uatis mihi spiritus esset,
Cunctorum haud certe ualeam percurrere laudes,
Et prius auratos sol mergeret æquore crines,
Et prius obscuris nox terram conderet alis:
Non tamen, illustres Decios similesque, silebo,
Doctrinæ Iuris proprijs fundasse elementis
Hic pubem, atque illi legum præcepta dedisse,
Tradentes æqui Romanis floribus artem:
Quos tantùm superat CYNVS, qui laudibus aures
Implet adhuc doctas sacrato iure peritus.
Cuius fama recens totum quoque nota per orbem,
Fluctibus Vmbronis diuinos auget honores,
Nomine quo tanto celeberrima Brana superbit.
Audijt illustris fama quem BArtholus, a quo
Percepit sacri doctrinam iuris & artem.
Illius hinc doctis quæsita est gloria chartis.
Et modo non desunt docti sermone rotato,
Magna quibus virtus facundum & Nestora uincunt,
Pulchra Theophrasti docti præcepta sequentes.
Quorum alij monstrant artem, qua noscitur vnde
Quilibet à falso uerum dignoscere possit,

Doctrina erudijt sapiens quos Porticus olim.
Chrisippi, multaque insignes reddidit arte.
Sunt alij celebres docta dulcedine linguæ,
Inclyta queis cedit Labeonis gloria prisci.
Qui attonitas reddunt aures, dum iura recludunt
Eloquio culto passim præcepta docentes
Cælicolæ Astreæ, quæ iusserat omnibus æquo
Reddi iure suum, insidijs nec fallere quemquam.
Est ea pax vrbis concors stabilisque voluntas,
Tedarum in domibus concordia mutua, dulcis,
In procerum cœtu sapientia cælica dicta est.
Certe hanc auferre est de vita tollere sensus.
Qua sine nullius precij prudentia solers,
Qua sine nil dignum, aut quicquam laudabile: namq́;
Est columen veræ famæ, laudisque supernæ,
Splendor inest illi virtutis maximus almæ,
Siue hominum in cœtu vigeat, siue exigat æuum,
Solus homo in syluis nemorosis, indiget illa,
Cuius relligio, & pietas vestigia seruant.
Actus æquales quamquam, partesque sacratæ
Iustitiæ interdum in brutis quasdam esse videmus:
Delphyni vt cum venantur, rabidique leones,
Assignant prædam inter se, partemque relinquunt
Illi maiorem, palmæ qui caussa fuisset.
Imperio hæc faciunt naturæ cuncta potentis.
Nam sunt iustitiæ expertes pietatis, & æqui,
Et cupidi cruda se absumere morte vicissim.
Namque illis statuit legem Saturnus in agris,
Vt se se extinguant pisces, volucresq́; feræque,
Iustitiam nobis dederat, quæ est optima multo.
Hæc circa morum similes patriamque, patresque,
Affines, natos, tedas, sociosque, & amicos,
Atque DEI cultum versatur, non ea circum,
Quæ ad sæuas, brutasque feras spectare videntur,
Nam propria hæc hominum solum est atq́; vnica virtus.

Hac Iouis inuicti solium considere iuxta,
Cunctorumque hominum fertur perpendere facta.
Omnia cui latè priuata,& publica cedunt.
Cuius læta quies est prudens filia, fidi
Consilij,& belli torquens fortissima pondus.
Namque Ioue æterno nata est pulcherrima proles,
Et veluti e cælo in terras demissa Minerua
Illa docet, recte vt mortales cuncta ministrent,
Illa parat iustis solium sublimis olympi,
Illa trahit cunctas secum DEA regia firmas
Virtutes, veluti mater fœcunda feraxque.
Ergo à iustitia quæcunque scientia manat,
Virtutesque omnes fundentes gaudia mundo,
Queis nihil in terris præclarius esse repertum est.
Verum si specto mores, vitamque recentem
Viuimus heu vitam, quæ iustum non decet ullum.
Despicitur bonus à cunctis, atque improbus vsque
Omnibus ipse ferè carus, dominusque bonorum est.
Heu mores periere, fides, pietasque, pudorque,
Nemo insons. felix uirtus scelus omne vocatur.
Hinc ego non vellem durando vincere fata
Amplius, in longum vitæ & producere cursum.
Sed quid ego hæc passim referam notissima cunctis?
Iustitia magna est certe præstantia post quam
Olli virtutes errantia sidera præbent.
Orbibus esse octo cæli connexa uidentur
Omnia quorum omnes complectitur extimus vnus,
In quo stellarum (cursus uoluuntur, & illi
Cœlestes etiam subsistunt ordine septem,
Qui motu contra cœlum versantur,& horum
Egregia Astrea quamplurima quilibet affert
Munera uirtutum, torquet quibus omnia nostra:
Namque orbis primus Saturni continet astra,
Astrum quod dubijs Astrea ostendit,& affert
Consilia in rebus fida,& diuina recludit.

Inde hominum generi prosper Iouis aureus orbis,
Qui imperij, & pacis vires concedit, & artem,
Et pietatis opus pariter, dulcisq; quietis,
Illam sublimem reddens, & nomine ditans
Aeternæ lucis, quæ nunquam deficit, & si
Oceani currum Phœbus demergat in vndis.
Hanc saui Martis disponit ad ardua sydus
Ardens, vt semper sit forti pectore, & ausis,
Vt queat Herculeos audax superare labores,
Inuicto & beliis discedere robore victrix.
Astriferi media cæli latè emicat ora
Stellarum Titan princeps, qui lampade clara
Illustrat terras, medioque refulget Olympo
Flammeus, obliquum semper qui fertur in Orbem,
Cor cæli, patuli mundi mens, luminis & fons
Cælestis, supra terram, qui se extulit ardens
Omnia prospectans, radijs opera omnia lustrans:
Nam Iouis est oculus fulgens candore nitenti,
Munera qui Astrææ cælestia contulit, alti
Splendoris decorans illam radiante corona,
Quæ veluti fulgens virtutum stella vocatur.
Protinus auricomum sequitur Venus aurea solem,
Illam quæ mitem reddit virtute benigna,
Hinc dociles, latique simul sunt Iure periti
Primæuo flore, & tarda accedente senecta.
Inde subest Maiæ facundus filius Hermes,
Larga vnde Astrææ concessa est copia fandi,
Et voce & sermone potens facta esse videtur.
Tandem orbe estremo residet, quæ est ultima terris,
Cynthia luce carens propria sed lumine fratris
Vtens, quæ veluti astrorum regina gubernat
Terrena, ut Iuris lator, qui cuncta ministrat.
Omnia sunt infra mortalia, nec nisi nostri
Perpetuò uiuunt animi, quos conditor Orbis
Infundit nobis, qui numquam luce carebunt.

At


At quæ sunt posita errantis super ardua Phœbes
Astra, æterna manent, perque omnia secula viuent.
Plurima nunc remanent nostris dicenda Camœnis,
Quæ modo si uellem complecti carmine nostro,
Ante dies cœlo caderet, noxque humida currù
Acta leui æquoreis fuscum caput abderet vndis.
Felices iuuenes, timido non corde sequentes
Ingenuas artes, quique altum ascendere montem
Tenditis Aonidum, nec vos prærupta morantur
Saxa, nec immanes scopuli at crescente labore
Concrescunt animi, geminant atque ardua uires:
Pergite nunc alacres, quantum valet aurea uirtus,
Quærere nam vos excelsi olim ad tecta tonantis
perducet, uestrum & fugiet Proserpina nomen.
Quid tam seclusum, quod non penetrare valeret
Humanum ingenium sudore, & puluere? quærens
Omnia quæ nos à populo, terraque iacente
Eripiunt aliique ad cæli sidera tollunt.
Principio tandem nostris vt versibus aptum
Coniungam finem, & sermo decorata corona
Sit gemmis, Phœbi folio condigna locari;
Accumulant, inquam, laudes arisque, focisque,
Sedibus, & populis, muris, templisque sacratis,
Legibus, & tedis, natis gelidisque sepulchris
Maiorum & Patriæ. Musarum lumina docta.
Illa docent homines clarum conscendere olympum,
Illa docent magni Regem dignoscere cæli,
Imperia & superare manu gremioq; Tonantis.
Humanis palmam victis deponere rebus.

GRA-

GRATIARVM ACTIO.

Non magni condigna uiri pro munere tanto
Præmia me nobis reddere posse reor.
Sed pro me reddet totum qui temperat orbem,
Munera dans cunctis qui bene gesta fouent.
Dum folia umbrosi nascentur in arbore montis,
Et rutilans Phœbus dum iuga summa premet.
Inuida dum rapido decurrent tempora cursu,
Semper ero tanti muneris ipse memor.

FINIS.



EIVSDEM AVCTORIS

IVS PONTIFICIVM

IN EODEM GYMNASIO PROFITENTIS

in ingressu Studij de Hominis Conditione

C A R M E N.



Væ bona, quæq; mala est sortita humana propago,
Fortuna in varia infelix, felixque futura,
Effari incipiam sacra dictante CAMÆNA.
Hinc illa in se se poterit descendere solers,
Non præcedenti loculos inquirere tergo,
Cælica quam primam ducit sapientia laudem,
Vos, quibus est virtus, linguis, animisque fauete,
Exitus vt vobis sit gratus carminis huius.
Ipse homo sit quantum felix, prius ordine dicam.
Ante fretum, terramque Deus, cælumq; profundum
Condidit Omnipotens, qui solus cuncta tuetur.
Terras arboribus, plantis, animantibus idem,
Piscibus & vastum Pontum fluuiosque sonantes,
Aëra tum cætu compleuit mille volantum,
Depinxit cælum fulgens radiantibus astris,
Addidit & geminum lumen, noctemque, diemque,
Pandens, & formans variantia tempora certa;
Hæc hominem propter diuinitus omnia finxit,
Atque ipsi sapiens Rex præmittenda putauit,
Vt successurus quondam Vrbi maximus Heros
Cuncta prius quæri mandat, quorum indiget vsus
Primus homo hinc terris natus, quem semine celso,

Si spectas animam illius, seu corporis artus,
Rerum Opifex fecit sanctæ sua imaginis instar,
Hæredem & vitæ æternæ, cui semina mentis
Alta concessit, late & nemora ardua cæli:
Et cuius terram, media quam in sede locauit,
Vectaque præpetibus volucrum vaga corpora pennis,
Ingentesque maris tractus, & sidera clara,
Supposuit legi, & tandem quæcunque recurrens
Aspicit, & clara collustrat lampade Phœbus.
Seu celeri flamma sitientes inficit Indos,
Seu roseos crines in Hybero flumine mergit.
Namque igne assumit lumen, gratumque calorem,
Discutit & tenebras, pallentia frigora soluit,
Quo diuersa gerit; fuluum nam colligit aurum.
Exsiccat cœnum; ceram, glaciemque resoluit.
Aere suspirat, respirat, construit, atque
Aedificat muros passim, celsasque minantes
Astriferum in cælum turres, & Pelion ossæ
Imponit, celsumq; audet conscendere olympum.
Insidijs captat volucres: sinuantibus vndis
Deprendit lino mutos, & arundine pisces.
Horrida nec pauidus descendit in æquora longis
Puppibus, & medijs rapidos perlabitur amnes
Fluctibus, & quodcunque anfractibus orbis opacis
Terrarum, fluuiorum, & magnæ Tethyos vndis
Abluitur: curuo terram proscindit aratro,
Ex qua fœcundam Cererem, laticemque Lyæi,
Diues & auratas quas Hermus voluit arenas
Perspicuas gemmas fulgenti murice amictus
Excipit. & seua sæuos feritate leones
Compescit, validus sedare & Tigribus iras.
Sensus ipse suos vigiles, luxusque superbos
Ipse animo frenat, sic Regis sceptra gubernat,
Nam se ipsum regere est regnum ditione tenere.
Si artificem spectas, quid magnum est, atque decorum

Si terram, immundi paruum quid pulueris? hic est
E manibus sumptus magni Patris atheris alti,
Quod non de reliquis, aiunt, fecisse creatis.
Natus qui, vt stabilem mundum miretur, & altum
Auctorem illius noscat, veneretur, & illi
Seruiat aternum, meritosque imponat honores.
Non homine omnipotens cœli Regnator egebat,
Ast illum finxit tantum, vt qua cuncta creauit,
Nosceret; atque forent illi comunia solùm.
Nempe opus hoc fecit magni mirabile Mundi
Causa hominis tantum, quem prater cætera amauit.
Gratior vnde DEO quanto sit noscitur, atque
Nobilitas quanta illius, bonus Aliger alto
Est datus à Domino custos, vt protegat illum,
Atque animam insontis, vitam qui morte peregit,
Amplexu ad cœli referat conuexa beati,
Ille est vt centrum in quo est omnis linea rerum,
Omnia, qua extra illum constant, complectitur, estque
Delitia aterni Domini; namque omnia ad illum
Tendunt, Aligeris cura est, animalia parent,
Prodest huic cœlum, plantaque alimenta ministrant:
Aethereos tandem cæli rediturus ad axes:
Candidus empyreum tunc is miretur Olympum,
Quod magis est perfectum alijs, summiq; parentis,
Atque Beatorum solium regale Deorum
Aligerumque Poli uigilum domus alta uoluerum
Vltimus est illi finis perfectus, & illud
Nullus homo posset recta ratione referre:
Non se oculis nostris mortalibus explicat vnquam.
Non radios spargit; quam vis sit luce corruscum.
Nempe illos Dominus voluit suspendere, ne sit
Candida lux semper mundo sine nocte profunda,
Quod vita humana nostra non conuenit, inter
Noctes, atq; dies nullum discrimen adesse.
Inferius confert super infima corpora; qua sunt

Vitali

Vitali in motu, quamuis immobile perstet,
In quo Cælicolæ, diuinumque omne locatum est.
Suspicit & quanta est Diuum sapientia Regis,
Quæ est tanta, vt nullus valeat comprendere sensu.
Quin magna est virtus, illam nescire fateri,
Nam illius numerus nullus, nec terminus, ille
Cognoscit, quæ sunt, & quæ non esse videntur;
Suspicit ille cibum, Domini qui est cernere vultum,
Regalemque habitum Procerum, quæ gloria magna est
Corporis atque animæ sanctæ: seriemque beati
Alituum cœtus, quorum situs ordine, quisquis
A Patre delectus, fruiturus lumine Olympi.
Suspicit inde hortos, & candida lilia, fontes
Fœcundos, pulchr asque rosas splendore niuali:
In quorum medio Regina incedit olympi,
Plumipedum stipata choris, Procerumque corona:
Felicesque gradus spectat, vitamq; beatam.
Est genus humanum diuino semine factum
Ad vigiles curas, mentisque capacius altæ:
Mortale & quamuis sors non mortalis in illo est,
Seu tenebris dignum, seu sit cælestibus oris:
Nam sensum cælo demissum duxit ab alto.
At cum perpendit, de quo Rex finxerat illud
Terrarum Dominus, Diuumq; æterna potestas,
Aura principio verbo qui condidit astra,
Et cælum, & terram ex nihilo, Pontumque furentem,
Impleuitque feris terram, vasta æquora mutis
Piscibus, & nemori vmbroso, syluisque vagantes
Immisit volucres, feriunt quæ sidera cantu:
Agnoscet vere terra non virgine vt ille
Terrigena humani generis quondam vltimus author,
Sed facili se se limo, fragilique creatum:
Quem labor assiduus sequitur, sæuique dolores.
Quæ nam conditio? superas vix surgit in auras,
Noctes, atque dies poscentes funere pœnas.

Insidijs

Insidijs illum circum stant turpibus hostes
Et quænam vita humana est non plena laboris?
Quando igitur felix? quando non fata timebit
Trista? quæ nulius mortali semine cretus
Premulcere valet precibus, rituque benigno
Dura quidem sæuæ peragunt sua pensa sorores,
Et tamen vlla retro numquam sua fila reuoluit.
Insipiens vita est hominis, risuque soluto,
Hinc passim sueuit dissoluere labra cachinno
Democritus, contra at lachrimas effundere suetus
Heraclitus erat, miseratus sortis iniquæ
Naturæ humanæ, quæ tam suppost a labori est.
Inde Scytæ in dias exortum luminis auras
Lugebant natum, at clara cum luce carebat,
Tollebant animos cælo, vocemq́; parentes.
Sit quantum ærumnis nouerunt tristibus ipsa
Vita hominis, quantum & circum vallata periclis.
Nonne mori vt primum venit genitricis ab aluo,
Incipit infelix? viuenti & demitur vsque
Pars aliqua, heu, vitæ. sic viuens vita recedit.
Non plures uita perfunctes esse videmus,
Siue foro siue in templo, populoque frequenti,
Quam placidum ducant æuum, vitaque fruantur?
Heu nunc aspicio gelido vos frigore membra
Soluisse: hinc functos fato magis alloquor atro,
Quam vos agnoscam vesci vitalibus auris.
Nostrarum ætatum septem pars altera semper
Omnibus occumbit fato, tibi quattuor, illi
Sue duæ, aut tres deficiunt, pars vltima nobis,
Hæc tantum restat, reliquæ aufugere sub vmbras:
Pars maior uestrum haud denos ter circuit orbes:
Ergo pars maior uobis in morte quiescit:
Quis negat, esse tribus iam, pluraque quattuor? ergo
Iure ego nunc dixi uos auræ munere cassos,
Hoc mane extinctis sic ueni effundere voces.

Si ad uitam ingressus noster discedere mundo est,
Quid nam aliud mundum dicas, ni triste sepulchrum?
Hinc dum mortales uiuunt in morte iacebunt.
Quam plures homines fecit Fabricator Olympi,
Attamen electi pauci læta arua tenebunt,
Est uia non mollis, quæ à terris ducit ad astra.
Nempe omnes homines propter Deus ille creauit
Sydereum cæli solium, & fulgentia tecta.
Et tamen obscuras plures Acherontis ad undas,
Infernasque domos, saui & spiracula Ditis,
Descendunt cœli, quam læta ad regna ferantur.
Ostia nam Regi superum, qui sidera cælo,
Et fragiles terris homines, radiosque uaganti
Fulgentes Phœbo concesserat, obice firmo
Claudimus, & tumido fastu, quæ iusserat ipse
Temnimus ò nostra turpis uecordia mentis.
O scelus hoc magnum, sic cæli munera poscunt?
Sic colitur superum Rector, nobisque timetur?
Quid mirum, sontes scelere hoc si mota nefando
Iustitia, inuisos cælo sub tartara mœsta
Immergit nebulis atris: & sulphure & igni
Obruit, infernus latrans ubi Cerberus atrox
Faucibus eructat flammas: Rhamnusia pœnas
Exigit immitis scelerum: nutrita Megæra
Vberibus stygijs, crinita atque anguibus atris:
Lucifugi fratres, nigris è faucibus ignem
Afflant ardentem, atque inuoluunt omnia fumo,
Humanam faciem, & caudam serpentis habentes:
Illic Tisiphone squallens serpentibus atris
Importuna, ferox, diris accincta flagellis,
Insultans animas ultrix quatit undique sontes,
Et centum immensus Briareus fera brachia iactans,
Atque oculis flammas, & uastis naribus efflat,
Gorgones, Arpyæque, & multa bicorpora monstra,
Hydrus & indomito conspergit stagna ueneno.

Qui

Qui locus infernus sæui est nigra regia Ditis,
Vmbrarum sedes, horrendo & murmure vallis.
Accipit ille animas omnes, populoque frequenti
Exiguus nulli est: vmbræ sine corpore nigræ,
Exangues errant cælesti sede fugatæ
Semper ibi flammis artus stridentibus ardent:
Semper ibi miserum glacies secat aspera corpus:
Obscura horrescunt mæstis vlulatibus antra:
Inuiaque assiduo complentur tartara fletu:
Et passim immensus turbat loca tristia clamor,
Hic laqueis sontes scelerato crimine vincti
Intima inextinctis torrentur viscera flammis.
Atque hæc vociferant, gemitu cæca antra replentes
Tartareas sedes, vastique silentia regni:
Quamquā animus meminisse horret, tamē ipse docebo,
Quæ mihi narrauit superis gratissimus vnus,
Quando illum ad Diuum comitarer limina sancta.
Rectoris iustas cæli irritauimus iras,
Ferrea dum nobis miseris dedit Atropos æui
Cursus: & clara virtutis spreuimus omnem,
Liquimus atque viam: & rectum contempsimus: at nūc
Quid sitis imperij tristis facinusque cruentum?
Quid mens elata, heu nostri quid cura peculi?
Quæ angustam vitam ducentes tempore in omni
Vt comes insequitur, quæ exangues deserit artus,
Mortalesque æqui cogit transcendere fines.
Quid sensum duxisse Polo? quidue inclyta iura
Ponere submissis populis titulisque potiri?
Et modo quid prodest antiquæ opulentia Troiæ?
Distribuit generi humano quæ Iuppiter altus,
Humani cordis verè sunt triste sepulchrum.
Nam tandem vitam crudelia fata reposcunt.
Non Regem faciunt census fascesque superbi,
Non ostro effusa vestes, non splendida tecta,
Non Tigrim, atque Tagum magna ditione tenere

Ne

Nec minus euictis felix victoria Pœnis:
Pectoris at scelera inuisi deponere: & alti
Rectoris cæli præcepta capessere: & omnes
Suppliciter veniam, lachrimisque exposcere Diuos
Atque illis grati sacros dare thuris honores.
Nam Regum Domino seruire est regna tenere.
Tunc bona mens regnum cum donis poßidet. illi
Nil opus est sæuis armis, telisque cruentis,
Parthus equis refugus quæ auersis ingerit hosti.
Dum licuit nobis vesci vitalibus auris,
Duximus atque æuum incertum vitamque caducam;
Nulla fuit cordi pietas, superosque colendi
Relligio, constansque fides, rectique voluntas
Prodere sed Patriam pretio, violare parentes:
Instructi, & versare dolos in pectore, fraude
Fallere solliciti, Diuumque euertere templa,
Noxia moliri consueti grata loquendo.
Turpi & adulterio corrumpere dulcia lecti
Fœdera, & infando scelerum molimine lautas
Aßueti populare dapes, & viuere rapto,
Inuisi penitus Domino cui sidera parent,
Qui æternis regit imperijs cælestia regna,
Sceptra manu gestat, mundum & ratione gubernat.
Quem nos aßiduè sæui execramur vbique,
Dicimus atque illi conuicia dira vicißim,
Crudelem, ingratum, iniustum sine fine vocantes.
Hinc magis augetur nobis pœna vsque cruenta,
Et bene conueniunt culpæ, vesana per artus
Tormenta ingeminat nostros quæ regia Ditis.
Quippe hominum generi eueniunt non omnia fato:
Arbitrio at tantum proprio sua iura resoluit.
Omnia nam scelera à nobis sunt sponte peracta.
Omnis homo se se poterit subducere fato,
Si fuerit semper sine culpa, & honesta sequutus.
Nos sumus absumpti scelerato crimine nostro:

Et celeri a flammis iactu damur æquor in altum
Et miseras scelerum pœnas expendimus omnes.
Heu morimur, sed mors animum, licet ægra relinquat
Corpora, non vnquam potuit diffundere in auras.
Heu vermis noster non luce carebit, & ardens
Ignis alit flammas, recipit nec fluminis vndam.
Nempe datum nobis si esset consurgere ad auras,
Ante sacras quisquam nostrorum sisteret aras
Assidue genibus positis & supplice fletu,
Exposcens veniam Diuos, numenque supernum,
Sollicitus large miseris rem fundere egenis.
Non essent nobis curæ mala gaudia vulgi,
Mentibus humanis adimunt quæ limina cæli.
Hactenus hic finem miserans dedit ore loquendi.
Hoc specus horrendum Christus descendit ad imum:
Cum Regem infernum laqueis post terga reuinxit,
Et pedibus pressit restrictum membra cathenis,
Ictibus horrificis subiectâ & tempora fregit.
Scilicet imperium illius dirum abstulit omne,
Quo iniusta nos mortales ditione tenebat,
Et miseras animas Stygio damnauerat Orco.
Postquam Erebi Regem domuit, vinclisque repente
Connexit duros lumbos dirupit & ossa,
Vnde salus nobis, & virtus: inde Redemptor
Magnanimus victor nostras remeauit ad auras.
Non miser omnis homo tanto in discrimine? vita
Dum fruitur dubius purô an succedere cælo
Sit dignus, vel Cocyti stagna alta videre?
Non trepidus rerum, dum talia mente volutat?
Nonne metu attonitus pauitans stat corde rigenti?
Et tamen, indulget genio, Venerique salaci,
Dulcia quæ curis hominum commiscet amaris,
pestis blanda nimis totum diffusa per orbem,
Quæ miscet thalamos nati & patris atque cathenis
Alligat impuris mentes animosque virorum.

Anxius & caci pondus graue congerit auri:
Auxius,& cupidus generosi munera Bacchi
Infundit menti,dapibusque epulatus opimis,
Perfidis haud superant luxu quas fercula Regis;
Incedit Tyrio perfusus tempora nardo:
Nec vitiare artus geniali temnit odore,
Vincere nec teneros Arabas, mollesque Sabaos,
Non munus deforme viro bene olentis Amomi?
Non cinerem,& terram conchylis purpura vestit?
Fletibus hac digna aeternis sunt.atque querelis.
Terrena,heu, propter stellantis limina cali,
Aethereas auras,& Diuum perdere regna.
Quin ea dum vita trepidat perquirere,nonne
Supplicia acquirit Ditis stygiaque paludis?
Nec mirum,quando est nobis incognita sedi
Gloria calestis fuluo preciosior auro:
Nec magnum precium illius nomenque referrent
Tot lingua,quot sunt Aquilo quas turbat arenas,
Nec quod Tyrrheno glomerantur in aquore fluctus.
Rusticus vt uerso lybicum si forte lapillum
Quondam inuenit agro,viso non flectitur illo
Ignarus precij illius;sic limen Olympi
Spernimus intenti perquirere inania Mundi
Gaudia,qua nobis adimunt conuexa tonantis:
Promptius exuti queis ad calestia regna
Tendimus,& stigij fugimus Cacodamonis astus,
Ille DEO similis,mundi qui est cuncta perosus,
Et nitidi cura argenti quem deserit atrox.
Noxia diuitias comitantur crimina molles:
Pauperiem sequitur duram sapientia victrix,
Fortuna ex imo res qua ad fastigia tollit.
Indiga paupertas sapè est virtutis origo,
Aureus ut docuit Zeno,Cynicusque Sinopeus.
Quam multi illustres sceptrum renuere,petentes
Angustas habitare casas,ueterumq; malorum

Querentes ueniam,& superas acquirere sedes,
Et strepitu nullo miseram decurrere uitam
Aurea nam mollem perfragunt tecta soporem,
Et uigiles fulgens deducit purpura noctes:
Verum praestat inops securam uita quietem.
Hac spreuit Paulus, spreuit q; Antonius asper
Qui exuti humanis curis calestibus auris
Afflati, in syluis, interque horrentia lustra
Implerunt annos, ieiunia soluere sueti
Fontanis undis & mista frondibus herba,
Glandibus & quernis confectum corpus alentes.
Non omni Hesperia regnum ditione reliquit
Purpurea ueste exutus Pipinus: & Offa
Anglorum spreuit sceptrum iuuenilibus annis?
Non iura imperij Isaccius contempsit Eoi:
Orbis & extremi populos uiresque corona
Lottarius Caroli genitus de sanguine magni?
Agnes Helisabet populos sub legibus aquis
Imperio occidui solis, terrasque premebant:
Et Theodora potens Byzantia sceptra regebat.
Magna etiam terras rexit, tenuitque Butilda,
Quas inter Rhodanus currit, quas Sequana lambit:
Et tamen omisso fastu, cali astra uidendi
Ardentes studio, deiectis fronte coronis,
Horrida sacratis uelarunt tempora uittis:
Et leta in claustris, duxerunt leniter auum
Assidue larga miseros ope substentantes:
Regina quamuis prima no flore iuuenta.
Donec eas mundum sponsus ratione gubernans
Perpetuo ad cali tedas, thalamosque uocauit
Nunc ueluti ardentes fulgent super athera gemma,
Qua Attalicas superant gazas, Erythraaque regna
Diuitis arua Mydae, & Lydi patrimonia Croesi:
Quas Pater athereus radijs illustrat, & auro,
Astrictasque fouet caris amplexibus: illas

Impedit

Impedit & palma crines: artusque decoros
Induit aurato distincta murice veste:
Nectareq; & grato Ambrosiæ conspergit odore.
Felices animæ, quas sceptri nulla cupido,
Non aurum, aut mundi illecebræ non membra iuuentæ
Formosæ æterno potuere auertere regno.
Quam potis est ignis, Dominus quem misit ab alto,
Incendens hominum mentes ad limen Olympi?
Syderei qualis folij, imperijque voluptas?
Illic concelebrant hymnos, ducuntque choreas
Alituum coetus: & Diuum numina sancta,
Et Regem laudant, qui temperat omnia solus:
Cantibus inflectunt voces, & carmina dicunt:
Cantibus ingeminant, Sanctus DEVS vnus ab alto,
Dulcia percussis sociantes carmina neruis,
Diasque alternis mulcentes laudibus auras:
Implenturque bonis, coram dum sancta superni
Ora DEI spectant, magnum spirabile lumen:
Qui fulua insignis trabea, solioque residens,
Canicie prisca fulget venerabili ore,
Ingens immensus, radians splendore nitenti,
Præclaro humanos perstringens lumine visus:
Quem sancti Proceres stipant examine denso,
Assiduè læto referentes carmine grates:
Quem circum rutilant fulgentia sidera mille,
Mille acies volucrum Diuum cuneique, chorique:
A cuius leua assistit gratissima Regi
Plena Deo, Christique parens partu inclyta Virgo.
Aurea cui vestis nitido fulgore relucet,
Flammigeraque caput toto venerabile cælo
Bis sena impediunt stellæ radiante corona:
Quam circum volitant dextra, leuaque frequentes,
Ter mille Aligerum cœtus, MARIAM ore canentes:
Parte alia Verbum assistit, ceu lucifer almus,
Sydera qui late miro splendore serenat

(Splendor

(Splendor qui Phœbum illustrat, cælumq; supremum)
Filius altisono genitori æquæua propago:
Verus homo factus verus Deus, vnus uterque: &
Spiritus omnipotens sancto qui incendit amore:
Quo nos afflati superas conscendimus arces:
Non comprensus amor non enarrabile numen.
O regnum semper felix vbi vita beata est,
Sol vbi Iustitiæ qui lumine cuncta serenat,
Atque animæ sanctæ effulgent, cœtusque volucrum.
Diues homo in cælo, totum si sparsa per Orbem
Omnia posthabeat superis paruique putauit,
Mortuus adducit nil secum: at sponte, libensque
Indignum hæredem properat describere: quique
Occurrit lætus rebus quique omnia turbat:
Et cuius fletus falso componitur ore:
Insimulat tristes lachrymas diffundere in auras:
Cui non difficile est querulas expromere voces,
Eximiumque larem gemitu, trepidoque tumultu,
Questibus & mœstis cælum miscere profundum.
Heu rapidum vitæ humanæ percurrimus amnem
Vndis persimiles post vnum deficit alter.
Ergo mortales omnes discrimine nullo
Maximus ille Parens, rerum cui summa potestas,
Aequali pariter voluit supponere legi?
Ergo semel morimur? vox hæc in morte quiescet?
Hocque meum corpus parua claudetur in vrna
Exangue, & paruo corrosum verme cadauer?
Et domus obscura extabit mihi triste sepulchrum:
Cælesti donec reuocetur turbine ad auras
Corruptum tabo corpus, somnoque sepultum:
Tum gelida ad vitam defuncti morte redibunt:
Et viui raptim decedent, atque resurgent:
Et scelerum vindex veniet DEVS, omnia noscens:
Pellibus ossa mea, & nuda, & sine carne iacebunt?
Huic capiti nulli extabunt oculique, pilique:

Non ora aut nares, verum misirabile totum:
Sub capite heu gelidum saxum, & dura ossa manebunt?
Vermibus infestis totus circumdatus, heu, heu,
Qui mihi dilecti socij, testésque sepulchri?
O genus humanum, & longe spes pessima vitæ?
Frondibus assimilis, Boreæ quas concutit aura.
Quid tua si centum versarent arua coloni,
Et tua Pactoli fluerent subtecta liquores?
Quid si ebore, & tabulis niteant laquearia pictis?
Nonne dies paruo miserum te claudit in orbe?
Quo te extollis homo? mater non est tibi puluis?
Pulueris & iam iam paruo redderis aceruo?
Et ratio coram Rege est reddenda malorum
Cælicolum Domina[illegible], qui secula diuidit astris.
Quo te extollis homo? non te ipsum noscere par est?
Non tu puluis es aura es, bulla es fumus es, vmbra es?
Conceptus culpa & pœna genitricis, ab aluo
Lapsus & astrictus vitam dispergere in auras?
Vt non te extollas, mortalem nosce caducum:
Quidnam homine enutrit tellus infirmius? heu, heu,
Quid ualidum studeas, vegetumq́; heu, reddere, quod mox
Non mors finieris persoluens frigore membra?
Cuius & in vita amplexus gratissimus, at cum
Effundit vitam, cunctis despectus habetur:
Natura pronus turpi succumbere culpa.
Quem miserum vidias, hominem scito esse caducum:
Quem fortem videas, hominem scito esse caducum.
Anceps forma bonum miseris mortalibus, & quis
Tam fragili sapiens veleat confidere dono?
Quod vorat assidue, vertitque volubile tempus,
Et cui plena subest curis infirmior ætas
Ergo quis cupiat fragilem producere vitam,
Quod nihil est aliud, quam vitam ducere mortis,
Quam plenam ærumnis nobis infudit Olympi
Rector: quid virtus, Domini ni iussa facessis?

Nunc

Num tibi iudicium instat formidabele mortis?
Qui elato tumidus paruifacis omnia fastu,
Nonne mori melius, quam se ipsum condere morte?
Omnis amor vitæ mortalis deficit; alti
Omnis amor cæli immortalis sæcula vincit.
Delitet Eois latè pulcherrimus oris
Antiquus, dictus Paradisus, fertilis hortus,
Qui positus terra longè sublimior omni est.
Semper ibi tellus diuinos spirat odores,
Semper odoratis plantis, & floribus halat,
Quos Zephyri mites reddunt, auræque fluentes.
Temperie cæli est positus statione salubri,
Fulgentis Phœbi pertingens vertice cælum
Quem pictæ volucres mulcent, paßimque vagantes
Ambrosios dulci perfundunt gutture cantus.
Riuus ibi gelidus nitida perlabitur vnda,
Irrorans sancto sitientia prata liquore.
Et fons in medio vitreis perlucidus undis.
Scinditur in madidos per gramina quattuor amnes.
Non puros Nymphæ latices, nec regia rostro
Ales conturbat, pecudes nec gramina carpunt:
Formosas præceps non imbribus Africus undas
Concutit infestis nec surgens sæuus Orion
Nimbosum stringit gladium, nec Pleiades instant,
At uer perpetuum, & Zephiris clementibus aer,
Spirantes flores, arabo nec odore carentis,
Formosæ auroræ, & solium, Phœbiq; recessus.
Huc primæuus homo fuerat translatus, ut esset
Custos, & Dominum cumularet laudibus amplis
Et meritas grates grata qui mente referret,
Nutriret flores, mulceret sydera cantu,
Innocuus, iustus, rectus, tellure creatus,
Et morte inuita uiuens superoque parenti
Cælicolum aßiduè in primis uel maxima cura,
At postquam hortatu uxoris, quam illexerat anguis

Fraude

Fraude mala, Regis violauit iussa superni
Deceptus, carpens vetitos ex arbore fœtus:
Mox veluti glacies factus, non feruet amore,
Vt prius æterno, at blandis falsisque Draconis
Blanditiis nimium credens. spem ponit in illis.
Plus etiam (infelix) fuit inflammatus amore
Coniugis, ætherei cæli quam numinis alti.
Inde Ioui æterno inuisus, Diuisque beatis
Mensuram recti, & iusti de mente fugauit,
Et scelere instructus morti damnatur iniquæ.
Qua noxa illius facta est deformis imago,
Aspectu fœda, informis, miserandaque cultu,
Cœtibus Aligerum similis, pulcherrima cæli
Quam Pater ante alias forma præstante creauit,
Castam, & prudentem, & cunctis virtutibus auctam.
O quantum insipiens generis pater ille virorum,
Qui rerum dominus factus (nam lustra ferarum,
Squamigerumque genus, volucres, pura æthera cæli
Imperio illius parebant ocyus, & quæ
Vasto cana sinu complectitur Amphitrites
Tanta erat illius sapientia pectoris alti,
Tamque potens mentis factus, tam corde sagaci,
Nouerit vt Genitor *cæli quæ cuncta creauit,*
Solus & indiderit cunctis sua nomina rebus)
Attamen eualuit fœda succumbere culpa.
Hinc Rege à supero pulsus de sede beata
Turpiter, vt raptor, qui templo tolleret aurum,
Seu fur nocturnus, qui nummos auferat arca,
Nos culpæ hæredes liquit, pœnæque seueræ,
Plutonis solium & Cocyti stagna recludens:
Et sibi, & humano generi perlucida templa
Conclusit cæli, irritauit numina Diuum:
Innumeraque animi dotes, quas detulit illi
Omnipotens, fugere omnes, ceu fumus, & vmbra.
Non finis damni fuerat, non iste malorum.
Nam placidis oris subito disiungitur exul,

Addictus Stygijs pœnis, vmbrisque profundis,
Nosque nigri secum traxit Plegethontis ad vndas.
Sed Pater æternus tandem mortalia damna
Non passus, Natum diuini exemplar amoris,
Aequæuamq; sibi sobolem demisit ab alto,
Humano vt generi insonti, rectumque colenti
Ad cælum monstraret iter, primique parentis,
Ipse sua immani peccatum morte piaret
Et Cruce funerea referaret limen Olympi,
Cælestes sedes, & magni tecta Tonantis.
Noscat homo quantum dignus fuit ille creatus:
Diuinæ consors naturæ factus: & atris
Erutus a tenebris ad limen ductus Olympi.
Sit memor, æterni vt membrum sit corporis, & non
Infirmi, aut fortis non tristi morte carentis,
Munera ne tanta hæc valeat contemnere Diuum:
Quæ Pietas pater, & quæ te clementia cepit?
Iusseris vt Natum nostras abstergere sordes,
Inque Crucem actum progeniem lustrare nocentem.
Vos quibus est fulgens primæuo flore iuuenta,
Et queis tantus amor residens in pectore puro;
Eximiæ laudis; virtutis pergite recto
Tramite: sit vestrum finis, non aurea signa
Phidiaca aut tabulæ illustres, quas pinxit Apelles,
Quæ angustam vitam longum diffundere in æuum
Haud possunt, tantum at virtus veneranda beatos
Post cineres, reddet, celsa & super astra locabit.
Sed vos a blanda Syrenum voce remotos
Esse decet, diræ vitare & carmina Circes.
Tempora sic vestra intexent florente corona
Præmia redd entes Musæ, & Tritonia Pallas.

GRATIARVM ACTIO.

Quas vobis dignas persoluere debeo grates,
Dum potero, toto pectore semper agam.
Harebuntque meis hæc munera fixa medullis,
Dum nigra deducet stamina Parca mihi.

FINIS.

EIVSDEM AVCTORIS
IN MIRACVLVM B. M. V.
HVMILITATIS DE PISTORIO.

In eiusdem ecclesia marmoreo parieti excultum.

GErnitur, ò Pietas, cœli Regina rigata
Sudoris guttis nobiliore loco.
Inde illi hæc humili ciues templa alta locarunt,
Pro cunctis templum quæ fuit vna Patris.
Inde illi intactæ auxerunt sacra annua Matri,
Quæ natum ad nostras flectit amore preces.
A. D. CIↃ CCCCXC.

EIVSDEM AVCTORIS
IN MIRACVLVM B. M. V.
GRATIARVM PISTORII.

In eiusdem ecclesia in marmore incisum.

HIc quondam hospitium, hic cœli Regina benignas
Ægrotæ excepit pauperis alma preces.
Stat viua effigies eius, nulla arte, sed ipsa
Tam mirum in muro Virgo reliquit opus.
Hinc terra effecta est cœlum, sancta aurea tecta
Virginibus populus condidit inde sacris.
APPARVIT A. D. CIↃ CCCIIL.

ANAGRAMMATA

Eiuſdem Auctoris.

CLEMENS OCTAVVS.

NACTVS ES COELVM.



Vſtitia primus, nulli pietate ſecundus,
Claudis qui & reſeras lucida templa Patris
Cælicolùm Regi ſupero gratiſſimus, altum
ES NACTVS COELVM præmia cælicolùm.

LEO VNDECIMVS.

ECCE SOL MVNDI.

SOl decus hic mundi, totum qui temperat orbem
Solus, quo fulgent lucida ſigna Poli.
Hicque ſuis aras luſtrat ſplendoribus; hinc nos
Poſſumus hos imo pectore ferre ſonos,
ECCE LEO VNDECIMVS SOL MVNDI, qui omnia luſtrat,
Atque Vrbi, atque Orbi ſecula priſca refert.

PAVLVS V. BVRGHAESIVS PONT. MAX.

TV PAX REGVM NOVA SALVS VRBIS.

COElite iam facto, qui rexit cuncta, LEONE,
Quæritur à Diuis ſummo mandante Parente,
Qui Regum pacem in terris, Vrbiſque ſalutem
Seruaret magno Diuorum à Rege ſecundus.
BVRGHAESIVM proles ſanctiſſimus ecce CAMILLVS
Offertur Diuis, poſſit qui talia ſolus,

Si modò sit PAVLVS, sacro est qui in fonte CAMILLVS
Sic placitum Superis lætis, sic nomine PAVLVS
Diceris a cunctis, quo præstes munera tanta:
Præstas iam mirus de te sic iure fatemur,
TV PAX ES REGVM quos iungis fœdere sancto
Romanumq; refers & nomine, reque CAMILLVM,
Hinc que SALVS VRBIS noua es, omnisque insuper Orbis.

FERNANDVS MAGNVS

DVX III.

REX VNVS DIGNVS,

FAMA DIVI.

ETrusci imperij flectit FERNANDVS habenas
Cuius & auspicio Flora superba viget,
Hic mirè saluis populis, bellisque fugatis
Pace in perpetua regna beata fouet,
Rem miseris large studiosus fundere egenis
Erigere & sacras & celebrare domos,
Orbes hic dignus solus ditione tenere
Quot gerit i llius nobile stemma globos.
Sit nihil ut mirum, si REX sit MAGNVS, & VNVS
Sit FAMA DIVI DIGNVS, & imperio.

NICOLAVS FORTIGVERRA.

FVLGOR IN SACRO

SENATV.

MVlta equidem in terris feci gratissima cælo,
Dum in rubro procerum cætu me purpura cinxit.
Magna, mihi in castris fuerat solertia, durus
Et labor omnis erat fugiens mea vita salubris

Sancta

Sancta Dei sedes, adeo vel maxima cura
Ecquis me quondam fuerat magis vtilis illi?
FANVM expugnaui, duros vicique Sabinos:
FERNANDO implicui regni diademate crines
Ense MALATESTAM astrinxi, veniamq́; precari,
FLAMINIAM telis pressi, domuique rebelles.
Inde Academiam extruxi, & regalia tecta
Grata meæ patriæ, quæ maxima commoda ferrent
Ciuibus, æternumque extaret gloria in æuum.
Nibilis hinc VMBRO creuit resonantibus vndis,
Fama vaga hinc toto celebrem me spargit in orbe
Quid maiora sequar? flauo notissima TYBRI
Ipse honor IN SACRO virtus FVLGOR que SENATV?

VIRGINIVS VRSINIVS

VIVVS IGNIS IVRIS.

HIc sontes vrit, lucemque insontibus affert
Obscura illustrat, cælestia tendit ad astra
Mollia consolidat, subuertit culmina montis
IGNIS qui IVRIS VIVVS demissus ab alto.

FABIVS VRSINVS

VNVS VRBIS FIAS.

NVlla tua VRSINE est proles illustrior alta
Nulla tua est latio carior orte Ducum.
Te cernet sacros Vmbrantem murice crines
Læta vagi auspicio Tybridis unda tuo
Non procul illa dies qua dicet conditor orbis
VNVS tu FIAS VRBIS in orbe pater.

PAV-

PAVLVS AEMILIVS ZACHIAS
CARDINALIS.

PIIS CARVS DIVIS AVLAM
COELI ZELANS.

ANxius exoptas ò cura accepta supernis
DIVIS vt uigeat mens sine labe tibi.
Siderei Regem cæli, sedesque supernas
Visendi studio te pius vrget amor.
Tuque PIIS CARVS DIVIS ZELANS que beatam
Alti AVLAM COELI, cætera linquis humi.

SYLVIVS ANTONIANVS
CARDINALIS.

INNATVS CLARIS SYDVS
IN AVLA.

HIc virtute nitens bona per orbem,
Cuius est titulis domus superba,
Alto summa sibi parare scanna
Cælo nititur, atque se beare
Hic prastat nitido stylo, grauique,
Sacra relligione nominandus,
Quo nil doctius, eloquentiusque.
Hinc est delicium Patrisq; sancti,
Quem circum micat, & fide & lepore.
Hinc CLARIS atauis ubique SYDVS
INNATVS rutilans magisque IN AVLA est.

AN-

ANTONIVS SAVLIVS CARDINALIS.

NOTVS RADIIS, VAS LVCIS IN AVLA:

Hic ille est, iubar, & perenne sidus
Quo gens SAVLIA gloriatur, altis
Nempe dum a titulis decus trahit, dum
Doctrinæ studio, & labore longo
Nomen perpetuum sibi parauit,
Et templo dedit enitentiorem
Lucem, purpurei nitor Senatus
NOTVS iam RADIIS profecto IN AVLA est,
LVCIS VAS celebre, atque laude dignum.

INNOCENTIVS BVBALVS CARDINALIS.

ABEL NOBIS NATVS CARIVS NIL DIVIS.

Vilia non offers magno tua munera Regi
Hinc ille optatis annuit vsque tuis.
Exemploque doces rectum, & non temnere Diuos,
Atque vt vita, & mens sit sine labe tua.
Iustitiæ cultor, culpa qui innoxius unus,
Vnus romanæ gloria prima togæ.
Summis quo in cælo DIVIS NIL CARIVS est, nam
NATVS ABEL NOBIS, carus in æde Petri.

VSIMBARDVS EPISCOPVS COLLENSIS.

IS VBI SVM PASCO PECVS ARDENS ILLO.

IPse gregis factus postquam cum laude minister
Indomiti pastus tutus ab ore lupi est;
Nam studeo sacros indagine cingere saltus
Quos doceo cœli tendere ad astra viam.
Quosque omni cura exardens depasco salubri
Mensa, qua ambrosiis est decorata cibis;
Isque opera exemplo morum, verbisque sacratis
ILLO ARDENS VBI SVM pectore PASCO PECVS.

BONIFATIVS VANNOCTIVS,

NOTVS FACTVS IN VIA BONI.

MOribus illustris, clarus pietate, fideque,
Cui sine mens vllo crimine casta manet:
Orbis delitiæ, atque decus; diuinitus & cui
Ingenium, & fandi copia larga data est:
Castaliæ cuius celebrant vel scripta sorores:
Docta virumque terit, nec saturanda manus.
Hic Bonifacius est, qui nil molitur ineptè
Auspicibus Diuis sed bona cuncta facit.
INque VIA NOTVS FACTVS verique BONIque
Vt modo sit toto notius orbe nihil.

IOANNES FONTANIVS ANTISTES.

AN NON ES FONS NATVS IVSTITIAE.

IVstitiæ largè fundit qui flumina sacra,
Fontanisque vndis crimina dira lauat
Ortus FONS cælo; cuius libando liquores,
Infirmo maculas corpore delet ouis:
Haurit aquam de quo insignis FERRARIA puram,
Quo nitidi latices tollit ad astra Padi;
FONS æque aspergens ouibus tua munera caris
IVSTITIAE AN NON ES NATVS, vt astra riges?

COSMVS ANGELIVS PRAESVL.


ALIGER VNVS OPVS SVM CAELI.

O Templi iubar, & decus sacrati,
Quam mirabilis est tua aqua uirtus
Diuini eloquij, qui ouile pascis
Tuum, iustitia grauis, potensque
Punis ense Dei fide impios, hinc
Omnis iam populus frequenter in te
Vertit lumina, laudibusque summis
Te, velut venerabile, atque sanctum
Numen, tollit ad astra, sic potes nunc
Dicere. ALIGER VNVS alii OPVS SVM
CAELI, ex me nihil. at Deo fauente.

FVL-

FVLVIVS PASSERINVS EPISCOPVS.

VNVS OVES PASCIS, VI FERIS LVPOS.



D tua dum properas vigilans præsepia Pastor
Lætitia uoces tendit ad astra pecus
Nam rerum prudens, & Diuis carior altis
Pondere verborum qui sacra verba refers
Vndique nil aliud resonat ni FVLVIVS ille est
Secum qui pacem iustitiamque trahit
VNVS OVES multo PASCIS qui Nectare Diuum
Quique pio diros VI FERIS ense LVPOS.

THOMAS VANNINIVS EPISCOPVS.

EN PIVS NOTVS ANIMAS PASCO.



Tribus herbarum curabam corpora, & arte
Phœbea, ast animas vigilans nunc ipse superna
Curo ope, & incolumes reddo, reddoque salutem
Cælesti ambrosia EN NOTVS PIVS, atque minister
PASCO ANIMAS, pro queis supplex pia numina posco.

ALEXANDER CACCIA EPISCOPVS.

DILEXI SACRA EN PASCO PECVS.

SAcrifici ipse mei dum accepi pascua Pastor,
Ad superos statui corda leuare gregis.
Ille mihi in primis extat vel maxima cura,
Quem vigilans cupida mente, animoque sequor.
SACRA ego DILEXI, & cœli pia numina, PASCO
EN PECVS, imposito thure calente focis;
Atque Deum posco veniam, precibusque fatigo,
Vt præsens ouibus ritè ministret iter.

STANISLAVS EPISCOPVS OLOMVCENSIS.

OVES SVAS AC LVPOS SIMVL IPSE NOSCIT.

HIc præsepe suum seruat, sæuosque repellit
Armentis sacro protenus ense lupos.
Hicque pecus nullo custodi mandat alendum
Prouidus at Pastor, pascit ouile suum.
Sacra suis ouibus præbens, atque omnibus æquè
Vina parans sanctis, & pia thura focis.
Huc illuc voluens oculos AC pascua lustrans
Et SIMVL IPSE LVPOS NOSCIT OVESque SVAS.

IOHANNES BAPTISTA CANCELLERIVS.

EN HINC BEATVS ASPIRAT IN CAELOS.

PRæpositus templo cunctis cum laude residens,
Exemplo morum, & sancta pietate verendus,
Vel solium illustras superum deuinctus amore,
Sacra Patris venerans: quid non iam sede potiri
Aetherea spes alta tibi? num dicere fas est,
EN HINC IN CAELOS ASPIRAT mente BEATVS?

CAESAR FLORAVANTIVS.

AVLA SANCTA FRVERIS.

NOn omnis solio Diuum, Regnisque beatis
Aspirans, illi corde fruetur homo.
Virtute at florens AVLA SANCTA ipse FRVERIS
Quique animo, & rebus numina sancta colis.
Tu rerum prudens semper siue aspera, siue
Venerit inceptis lenior aura tuis.

BALTHASAR TVCIVS.

CARVS ALTARIBVS.

PRæsulis est oculus nitido fulgore coruscans
Omnia qui templi respicit acta vigil.
Aram qui nostram multa cum luce serenat,

Et præbet sacro lumina clara gregi.
Hic CARVS sanctis ALTARIBVS undique fulget,
Hicque sua non est gloria parua domus.

FRANCISCVS DECANVS.

NVNC ARIS DECVS FACIS.

Nempe prius, quàm tu fueris FRANCISCE sacerdos
Lectus, rite dabas nomen natalibus amplis,
Egregiâ atque urbi clarum decus undique nostræ.
At NVNC qui meritos votiui thuris honores
Indicis superis, & vina liquentia fundis,
En DECVS inde FACIS passim lucentibus ARIS,
Quo Proceres sacri celebrant noua gaudia plausu.

BENEDICTVS CONVERSINIVS.

NVNCIVS IS CERTE DEI BONVS.

Æthere dum terris misit Pater ætheris alti
Hunc, bona sunt nobis nuncia missa Dei.
Nuncius è cœlo venit Benedictus ab alto,
Cuius & in templo gloria rara micat,
Virtutum radijs solium collustrat, & alis,
Et recti, & morum tendit ad astra uiam.
Et bona sunt illo in melius conuersa, BONVSque
NVNCIVS IS CERTE noscitur ESSE DEI.

IACOBVS BRACCIOLINVS.

O CVRA NOBILIS AVRI.

THesauri custos sacri, virtutis & altæ
Thesauros templo fundis honore Dei.
Quos non exuperant Regum, vel Persica gaza,
Diuitis, aut Hermi quas parit humor opes:
Ergo dilecta es tu CVRA ô NOBILIS AVRI,
Firma quod seruas peruigil vsque fide.

AMBROSIVS MARLIANVS.

SVM MVSA RARA NOBILIS.

IAm chorus Aonidum cinxit tua tempora fronde,
Dum passim populo verba diserta refers,
Aethera demulcens cantu: nam semper ad astra
Ascendis, quare hac dicere verba potes,
SVM MVSA & RARA, & dulcis, sum NOBILIS ore,
Ambrosij s stillans mella liquata fauis.

PETRVS LAVRENTIVS FORTIGVERRIVS.

VT VERE FORTIS VIR PATER VNVS LEGIS.

VSque adeo es validus sacri in certamine Iuris
Vt tua perstringat tempora fronde Themir,
Senarum tu sacra olim subselli s senis
Annis pressisti semper honore nouo.
Docta ibi responsa eximia cum laude ferebas,
Quis tua fama recens crescit in ora virum:

VT

VT FORTIS VERE, & prudens ſis VIR PATER VNVS
LEGIS, cui priſcum reddis in orbe decus.


PETRVS ANTONIVS VECTIVS.

ET PORTIVS CATO VNVS VENIS.

AMplius haud Vmbro Boream ſæuaſque procellas
Formidet, nam tu flamina dira fugas.
Flamina voce fugas blanda, totuſque Senatus,
Docta ora vt ſoluis, pendet ab ore tuo.
Nempe tibi ingenium velox, & copia fandi
Larga eſt, atque tuo Neſtor ab ore fluit.
ET VENIS, hinc VNVS nobis CATO PORTIVS alter.
Vmbronis cantu ſiſtere ſuetus aquas.

IOANNES BAPTISTA GATTESCHIVS I. C.

HIC STAT APIVS AC INGENIO BEATVS.




Vſtitia clarus, præclarus ſanguine auito,
Conſilio & lingua pollens, verbiſque decorus,
In quem conuertunt omnes vaga lumina Ciues,
Dum roſtra aſcendit diffundens pectore uoces,

HIC

HIC aptus verbis, Patriæ succurrere promptus
APTVS & INGENIO, AC puro STAT corde BEATVS.

HIERONIMVS MERCVRIALIS.

VERE HIC HOMINI MIRA SALVS.



St sacrum tibi nomen, & medendo
Diuinum ingenium Dij dedere:
Quos satis placidè leuare posses
Nomen laude tuum vetustum in oris
Crescit Ausonidum magis, magisque;
Libris exuperas tuis Galenum;
Sic omnes alacri fatentur ore
HIC VERE est HOMINI SALVS, & arte
MIRA nunc superat decore Phœbum.

CAESAR NENCYNIVS DOCTOR.

EN CYNVS IVRA SACRA DOCET.



Mplius Vmbro tuos noli geminare dolores
Augere, & lacrymis flumina nostra tuis
EN modo iam CYNVS rediit qui ad luminis auras
Eloquio culto qui SACRA IVRA DOCET
Mirificè soluens dubiarum ænigmata legum
Et stabunt scriptis nomina clara suis
Egregius cuius uolitans iamque vndique, nubes
Transcendens, cœlum & vertice tangit honos.

GHERARDVS FIDELISSIMVS.

SVM DELIVS GRAVIS FIDES.

IPse fide insignis, non vltimus arte medendi,
Acceptus Musis, laude colendus ego.
Laude colendus ego, calido dum sole perustus
Mollis Arabs, stellis dum nitor albus erit.
Publica qui morbi requies, commune leuamen,
Auxilium ægrotis ocyus vsque fero.
Arte mihi cedit longè Podalirius ipse,
DELIVS en clarus SVM GRAVIS atque FIDES.

SEBASTIANVS CELLESIVS IVRISCON.

CLARVS ES IVSTITIA ELVCENS NOBIS.

IPse tuis scriptis palmam cum laude reportas,
Dum rigido pandis iura sacrata foro.
Ingenium ad cœlum attollis rumore secundo,
Te resonans ARNI nobilis vnda leuat.
Nam tua iudicia è cælo diuinitus alto
Proueniunt Themidis virginis ore Deæ.
IVSTITIA ES CLARVS tu ELVCENS lumine Iuris,
Vt tua idem NOBIS tot monumenta probant.

BLASIVS BERNARDIVS.

LAVDIBVS BIS ARDENS.


HIc est eloquij cultis gratissimus auctor
Cuius Cecropio pectora melle fluant.
Dulcia Mæonio felix qui carmina plectro
Tentat, Apollinea mox leuat arte malum.

Laude

Laude per Ausonias multa celeberrimus urbes
Laudibus ille viros tollit in astra suis.
Sic claris ARDENS BIS LAVDIBVS *vndique, cuius*
Egregio laudes Phœbus honore sonat.

BERNARDETTVS BOROMAEVS.

ARTE SVA MORBOS ENERVAT.



Mnia si ille gerit prudens, Iunone secunda
Omnia disponit si æqua virtute, fideque,
Et si ore illius docto Venus alma resedit,
Siqùe Duci Magno nostro gratissimus, & si
Ingenio clarus, præclarus sanguine prisco est,
Eripit ægrotos Stygij si Acherontis ab vndis;
Quid mirum si omnes illum venerantur? & altas
Ingeminet voces ARNVS*, pariterque* LIBVRNVS*;*
ARTE SVA *hic* MORBOS ENERVAT *laudis honore*
Notus ab Hesperijs oris ad littora rubra.

ATTO CELLESIVS.


IS ALTO ELECTVS.



Edibus hic superum missus celebrandus ab oris
Occiduis, & qua terras clementia cœli
Demulcet, Iuris præstans cum laudibus amplis
Siderea Ascrææ solio delectus ab alto,
Puberibus nitidis pandens, num iura legendo
IS*, qui* ALTO ELECTVS*, nomen sibi condit in æuum?*

ANTONIVS ARFAREOLVS I. C.

FONS ORTVS IN IVRE CLARVS.


Loria te laude extollit, tibi dicere honorem
Naiades assurgunt meritum, facilesque Napeæ.
FONS aurum nitidum effundens cælestibus oris
ORTVS, & IN IVRE es CLARVS, quo profluit amnis
VMBRONIS tumidos tollens ad sidera cursus.
Nempe tuas lymphas emittit terra perennes
Hesperio à sole, & rubro, qua surgit ab ortu

FRANCISCVS VECTIVS DOCTOR.

SIC FVNCTVS IVRE SACRO DOCET.

HIc vigili Astrææ studio qui semper adhæsit,
Docta dedit rigido plurima scripta foro
FVNCTVS IVRE SACRO, iuuenes SIC ore legendo
Gymnasio in nostro Iura sacrata DOCET.
Hinc ille in cælo fulgebit lucidus alto,
Aequore ceu roseis lucifer exit aquis.
Quantum illi ardentem fateor, debere iuuentam,
Cui virtute sua monstrat ad astra viam?

FABRITIVS MORETTVS IVRECONS

NOSCITVR FAMA IVSTVS IN ORBE.


HIc Populoniatas prudens moderatus habenas,
Est faustè plures incorruptissimus annos.
Inde Academiæ Pisanæ Rector, & vrbis
Eiusdem Alphææ Fisci cum laude minister,
Et Volaterrani pariter quondam fuit illi

Iustitia

Iustitia ante oculos semper probitasque, fidesque
Vsque adeo fuerat, FAMA vt nunc IVSTVS IN ORBE
NOSCITVR Hesperijs oris ad littora rubra.

VINCENTIVS BONACCVRSVS.

NON ACCENSVS VIRTVTIBVS?


St tibi relligio, grauitas, pietasque, pudorque,
Iustitia & virtus tot iam memorata per urbes.
Eloquio culto polles, & Iure Quiritum,
Clarus eques, carus Diuis; humilisque sacerdos
Vir probus, ACCENSVS NON es VIRTVTIBVS? ergo
Non cœlo subies fruiturus Nectare Diuum?

IOANNES BAPTISTA FIDELISSIMVS.

IS FIT SAPIENS NOBIS AD SALVTEM.


Vm Brana Vmbronem inspectans vasto amne fluentem,
Fluctibus assurgit tumidis, & talia fatus.
Nos celso vndantes cursus educere cœlo
Iam decet, hic medica iuuenis virtute refulgens,
Ocyus & nostra gurgitas, laticesque leuabit.
AD tutam IS SAPIENS FIT NOBIS ritè SALVTEM.

IOANNES CANCELLERIVS.

ECCE ARS IVVANS NON ILLE.


On hic herbarum vires, vsumque medendi
Ignorat, subitò at tollit de corpore febres,
Auxilium ægrotis & non inglorius affert.

Dum venit infirmis morbos levire furentes,
ECCE IVVANAS omnes ARS NON ILLE ore fatentur.

FRANCISCVS FONTANIVS.

NON IS FONS AVRI FACTVS?



Vrea quem decorat probitas, quem lingua, fidesque
Aurea, quique auro vel potiora docet;
NON IS FONS AVRI FACTVS qui diuite vena
Ditatis terris aurea secla refert?
Hunc iuuenes fontem petite, has & currite ad vndas,
Hoc flumen vestrum pectus, & ora riget.
Gaza Tagi vestra, & Pactoli vincet arenas,
Et siquid totus ditius Orbis habet.

HIERONYMVS BALDINOCTVS.

HINC SYDVS OBORTVM

CAELI.




Irtute hic madidus, docuit quem Dædala Pallas,
Et cui præclaro rerum prudentia velox
Ante annos venit, famæ cui gloria cedit
Ardua Nestoreæ, nomen virtutibus æquans,
Laudibus insignis generoso à stemmate clarus,
HINC SYDVS CAELI multo cum lumine OBORTVM est.
Vmbronis fluctus scintillans lampade lustrat,
Et puris tenebras radijs in lumine vertit.

BAR.

BARTHOLOMAEVS MANCINIVS.

HIC SOL NATVS OB MINERVAM.



QVid mirum, si omnis populus tua respicit ora,
Doctam cum fundis cælesti lumine uocem?
Pectora namque reples doctrina, & nubila differs
Eloquij radijs cæli spirabile lumen.
Insignem referunt doctrinarumque, leporumque
Auctorem te eſſe, & præclara luce nitorem
Affers qui nobis Phœbi decus, OB quę disertam
Et doctam est HIC SOL missus, NATVS que MINERVAM.

NICOLAVS MELOCHVS IVRIS PERIT

HIC SOLVS IN IVRE LVCEM PARIT.

BRana tuus Cynus quamuis discessit in auras,
Doctrina hic Cynus nobilis alter adest.
SOLVS & IN IVRE HIC LVCEM PARIT, oĩa lustrat
Lumine qui Iuris nubila nigra suo
Sunt ea, quæ scribit cedro condigna perenni,
Quæque internectat virgine fronde Themis.
Dum linguam exercet clamosis litibus ille
Victricis lauri præmia prima refert.

CAMILLVS MORETTVS I. V. D.

LAVDE VIRTVTIS COMES.

NOn valeo laudesque tuas, tuaque inclita facta
Dicere, queis alti Tybridis unda tumet.
Nempe ea sunt priscis condigna annalibus addi,

Qualia

Qualia nec posthac secla futura dabunt.
Hac tantum referam VIRTVTIS LAVDE refulgens
Tu COMES, hinc expers funeris astra petis.
Vt non sit mirum, cælo si carior omnes
Ducis felices, & sine labe dies.

LAVRENTIVS CONVERSINIVS.

NONNE IS LAVS IVRIS VOCETVR?

DIuitis ingenij condignus laudibus altis
Extolli, famaque virum volitare per aures,
Tu Iuris, legumque unus doctissimus ille es:
Quem tenet egregia virtutis sedula cura.
Si data iure sibi conuertas nomina, dices,
LAVS uerè viuax IS IVRIS NON NE VOCETVR?

NICOLAVS CANCELLERIVS I. C.

CLARVS SIC CAELO VENIES.

EN tua iam uirtus, uita & sine labe peracta
Cernitur innumeris esse referta bonis
Virtute euincis populos, aurumque potentis
Fortunæ, & palmam victor vtramque refers.
Te decus ac laudis maiorum gloria famæ
Excitat, hinc sacri Iuris in arte vales.
SIC CAELO CLARVS VENIES, & luce coruscus,
Sic ait Omnipotens Iuppiter ore tibi.

DAMIANVS MELLINVVS.

DINVS MVSAELLANIVS.

SAcrarum aßiduè inquiris penetralia legum,
Pandis & ancipites, qui latuere, locos,
Vndique rauca tuis resonant fora laudibus amplis,
VMBRO quibus fului fertur in amne Tagi.
Secla futura tuos, dicent, mirata labores,
DAMIANVS DINO non minor iste fuit.
Num meritò DINVS tu MVS AELLANIVS es, qui
Præbes ingenij tot monimenta tui?

SFORTIA FROSSINIVS

ROSA IN SVIS HORTIS.

HIc splendore suo micat nitenti,
Vt Phœbus rutilans in astra clarus
Vt flos Nectareus vago decore
Virtutum redolet, suosque odore
Cultos Aßyrio facit nitentes
Hortos; quos aperit labore, vt omnes
Clari hunc percupiant habere, laudis
ROSA est pulchra SVIS olens IN HORTIS.

NICOLAVS VILLANIVS.


IN SVIS VNICA SALVS.

HIc genus, & proauos superat virtutibus amplis,
Aonidum intrepidus vastas qui inuadere syluas,
Atque parare sibi sacra de fronde coronam,
Altius aßurgit Patriæ noua gloria nostra:

IN que SVIS ille orta SALVS est VNICA rebus,
Inuida nam fata, & sortem superabit acerbam,
Victor, & aeternum fundet per secula nomen.

NICOLAVS.

IN HOC LAVS.



Vid te laudibus efferam supremis
ocelle & decus eruditiorum?
Laudatus fueris satis, superque,
Victor, nomine si tuo voceris:
Vt cum te memorem, tuumque nomen,
Vnd te memorem, tuasque laudes,
Et solum vigeat suprema IN HOC LAVS.

MATTHAEVS ROSSIVS.

VATES ISMARIVS.

Hic dum Threïcio modulatur carmina plectro
Horrendas syrtes mulcet, saeuamque Charibdim
Et tenero sistit currentia flumina cantu,
Dictus & insomnes longè depellere curas,
Dictus & vmbrosas syluas & saxa mouere
Vt merito ISMARIVS dicetur nomine VATES.

ISFOR-

ISFORTIA FROSINIVS.

ORTVS AFFINIS IOVIS.

Gloria si magna illius qui sanguine cretus
Magnorum affinis Procerum est tua maxima certè
Nũc erit AFFINIS qui ORTVS IOVIS undiq; fulges
Inclyta nam tollit iam te super Aethera virtus,
Et Diuis similem reddit, namque omnis ab illis,
Qua aeternum uiuant homines, sapientia manat.


ACHILLES BARONIVS.

ILLE CARVS NOBIS.

IN qui Parnassi decerpit vertice frondem
Ardens vt sertis tempora vinctus eat,
Scandit qui titulos, & quo non carior alter
Est Patriae, praebens caelica dona suae
Ingenio clarus, praeclarus nomine Pindus
Hinc Clario NOBIS CARVS & ILLE refert.
Ipse etiam meritis superatus voce fatetur
Secla unquam tantum non genuisse uirum.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. INNOCENTIO BVBALO CARDINALI,

A te principium tibi desinat.



TE modo virtutes propter quibus vndique fulges,
Lucida Romulei Tybridis vnda colit:
Mortalesque omnes adeo mirantur; vt vnum
Te credant terris numen adesse nouum.
Tu si purpureum qua lustras fronte Senatum;
Et quo sæpe tuos ore beare soles;
Nostrorum accipies parua hæc monumenta laborum;
Non timeam tabes, liuor inique, tuas.
Sed nisi sunt tanti: saltem ne despice mentem,
Qua certe uoluit: ni potuisse fuit.

FINIS.

NOMINA VIRORVM

Qui in opere continentur.

Ioan-

99 860646

Z

1107.30


LAVORATORI AUSILIARI DEL TRAFFICO